

Op. var.  
145

~~Opus~~. var: 199<sup>o</sup>

21, 71 117 118



522 Th.  
JOH. LUDOVICI  
FABRICII

S. S. THEOLOGIAE D. ET P. P.

OPUSCULA  
VARIATA,

I. De Limitibus Obsequii erga Ho-  
mines.

II. De Ludis Scenicis.

III. Apologeticus pro Genere Huma-  
no contra Atheismi Calumniam.

IV. Meditatio de Controversia circa  
Personam Christi inter Evange-  
licos agitata.

V. Ferrarii Euclides Catholicus.

HEIDELBERGÆ,

Impensis JOHANNIS MICHAELIS RÜDIGERI.  
ANNO M DC XCIII

Opp. var. 199.2

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





JANI ALEXANDRI  
FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani

*EPISTOLA PRIMA.*

*De*

Utilitate atque Necessitate Catho-  
licæ Fidei.

*Ad*

*Reverendissimos Viros*

ADRIANUM & PETRUM  
de WALLENBURCH.

**F**ortiter sanè à multis, VIRI REVERENDISSIMI, ac vario  
successu pro Ecclesiæ incolumitate Hæreticos est decertatum,  
vix autem à quoquam cautiùs aut dexteriùs quàm à vobis.  
Cùm enim & Ratio & Experientia edocuiſſet, Sacræ Reip. no-  
stræ nihil hætenus fuisse perniciosius, quàm quòd ipsa negotii quod  
agitur momenta ex Scripturarum autoritate ac Veteris Christianis-

N n

m i

mi principiis expensa fuerint. Vos pro admirando ingenii vestri acumine, rectè perspexistis, non *peremptoriis* & ad ipsam causam pertinentibus argumentis esse decernendum, utpote, quæ Hæreticorum solertiâ inverti vel eludi faciliè possint, sed vel *dilatoriis exceptionibus* utendum, ac *declinandum* Scripturarum forum, *Judicesque* omnes præter Pontificem nostrum *recusandos*; vel, quod præprimis vobis placuit, diuturnæ *possessionis ac præscriptionis* titulum obtinendum, prolixasque de *spolio* ordiundas esse querelas. Quam agendi rationem in foro quidem & judiciis usitatam, in iis verò, quæ ad Divinarum rerum intelligentiam ac fidem perinent, ante hac inauditam, cum accuratiùs considerarem, non aliud colligere potui, quàm quod pro incredibilem perspicentia vestra deprehenderitis, controversias, quæ Catholicos inter & Hæreticos agitantur, non in Sacro & religioso, sed forensi atque politico causarum genere versari. Ita enim mecum animo reputabam; *Quid contra veritatem præscriptio, quid pro errore possessio valeat? Acutius sanè Reverendissimis fratribus ingenium, exquisitior eruditio, iudicium subactius, quam ut forensis istam litigandi rationem ad exquirendam aut stabiliendam Divinorum dogmatum veritatem transferri posse existiment. Unde omninò crediderim, Ipsos longè hic aliud agere, quàm quod hætenus putabam, nec de Religione, sed de Imperio, nec de fide, sed de Obedientia disceptare, ac dum adeò anxie & sollicitè Hæreticos in Ecclesiæ sinum reducere, omnesque secessionis causas eripere ipsis laborant, id unum contendere, ut Ecclesiæ imperio eos de novo subjiciant partâque exuant libertate.*

Dici vix potest, *Reverendissimi Fratres*, quantâ quamque mirificâ luce subito mentem meam cogitatio ista perfuderit, & quàm clarè protinus perspexerim, quid in isto hoc argumento hætenus, sed imposterum omni operâ & curâ esset excolendum. Nimirum vestro agendi modo consimilem quoque materiam, conclusioni convenientia principia, ac thesi comòdas hypotheses esse adaptâdas, ut, quæ Catholicorum Doctrina Scripturæ Testimoniis ac Veterum Theologorum principiis propugnari haud poterat, non forensi solum Marte defendatur,



datur, sed ex reconditissimis quoque Civilis Prudentiæ axiomatibus demonstratur. Quod ubi à nobis præstitum fuerit, jam prævidetur expedita fore omnia. Quis enim postea dubitaverit, ad stabilendum tantum tamque latè per omnes Terrarum Regiones diffusum, & in ipsos Potentissimos Imperatores, Reges ac Principes quantumvis invitos atque reluctantes extensum imperium, cuius nec par, nec simile unquam extitit, prudentiâ opus fuisse plus quàm humanâ? Quis posthac credat, solâ inermi eloquentiâ effici potuisse, ut imbellis Homuncio, pauperculi Piscatoris successor, ferocissimorum Imperatorum colla impunè calcaverit, ut Reges solo nutu regnis excussit, ut ipsas Cœlorum fores pro arbitrio increpandi, easque dicto & claudendi & referandi, & quotquot lubuerit Hominum millia ad a-tras inferorum sedes detrudendi, atque inde reducendi potestatem habere creditus fuerit, ut denique sub extremi & æterni supplicii metu, ceu visibile quoddam in Terris Numen, non à rudibus, & barbaris, sed à Politissimis quoque omnium ferè terrarum Gentibus fuerit adoratus?

Tria sunt Numina, quibus Mortalium natura ineluctabili quâdam necessitate videtur esse subjecta, **A M B I T I O** scilicet, **A V A R I T I A** **L U X U R I E S**. Hæc nullis Philosophorum præceptionibus, nullis Legislatorum sanctionibus coerceri poterant. Unus inventus est homo, qui altiori longè, quàm qui hominibus conveniat, fastu illa omnia conculcavit, sibiq; soli vindicata in triumphum deduxit, dum primum illud voluntariæ *Obedientiæ* alterum *Paupertatis* tertium *Continentiæ*, in voluntariis vinculis constrinxit, atque ipse licèt *Servorum servus* Reges omnes pro mancipiis aut *Vasallis*, licèt *auro & argento* destitutus universum Terrarum Orbem ipsumque *Plutonis* regnum pro patrimonio, & licèt *Cælebs*, omniq; matrimonio solutus, alienos quos lubet thalamos pro suis habuit. Hæc quicumque paulò attentius consideraverit, nunquam necesse est ut fateatur, Eum, qui talia patrat, *verè elatum esse super omnem, qui dicitur Deum, ac super omne Numen, in Dei*

*templo assidens tanquam Deus, & , quod sit Deus, sese demonstrans? Quæ autem à Deo fiunt, quis negabit Divina esse?*

Ejuraverit sanè omnem Rationem, quicunque existimaverit, Rationis omnis destructionem Rationi adscribendam esse, atq; à vulgari Rationis dictamine proficisci, quòd sub prodigiosissimæ fidei obedientiam captiva ratio detrudatur.

An hominum sensibus attribuamus, quod omnes fascinentur sensus? quod nullis tormentis, suppliciis nullis deterreamur, quin ea testemur vera esse, quib<sup>9</sup> & Visus, & Auditus, & Tactus, & Olfactus, & Gustus; & quicquid tandem nobis inest Sensûs, apertè & constanter obloquitur? Quis non videt igitur Catholicæ Doctrinæ persuasionem ab aliis longe principiis provenire?

Enimverò Hæretici fatentur Divinam fuisse Apostolorum sapientiam: at illa tanta non erat; ut assequi potuerint, quâ arte super exilia ista, atq; naturâ suâ ad tale institutum ineptissima fundamenta, quæ à Magistro Jesu locata viderant, tam vasti Imperii moles extrui queant, licet illos satis ambitiosulos, regnandique cupidos, adeoque dubio procul Politicorum arcanorum non incuriosos fuisse, Evangelica Historiâ testetur. Quod si igitur Divina illa, quæ Apostolis obrigit, prudentia, si ad hanc nostrâ comparetur, mera sit stultitia, nec Sacri nostri Domini fabricatrix, quantis elogiis Pontificum nostrorû sapientia erit celebranda? Certè Divinissimam eam dici oportet, utpote quæ Divinam ipsam longissimè superârit. Nam Diabolicam esse, ne ipsi quidem Hæretici affirmare ausint. Fatentur enim omnes; Pontificem nostrum Principem esse Potentissimum, qui non aliquam tantum Italiæ partem, & in ea Mundi caput, sed & omnes ferè Terrarum Regiones dominio suo vel premat, vel pertinet, totque possideat castra ac munimenta, quot Tempia & Cœnobia per Universum Orbem dispersa jacent; totque addictos sibi habeat milites, quot Sacrificuli, Monache aluntur. Jam autem Hæretici, ex iis, quas in hunc ipsum finem ad Clerum, populumque Romanum Apostolus perscripsit literis didicerunt, *Non esse potestatem nisi à Deo;*

*quæ*

*qua enim sunt potestates, eas à Deo ordinatas esse, adeò, ut qui potestati resistat, Divinae Ordinationi obluetur. Quâ fronte igitur negent, Ecclesiæ potestatem à Deo existere, divinamq; esse ordinationem? Unde & ipsos huic ordinationi subijci debere, atque eum in finem, non uno, sed duobus gladiis Pontificem armatum esse disertè ibidem testatur Apostolus. Cap. XIII Comm. VI.*

Nullum nec in Urbe, nec in Orbe existit malum, quod DEUS non faciat, quæ Calvinistarum juxta Prophetam constans est doctrina. Jam autem ipsi clamant, nullum majus unquam extitisse malum quàm sit Pontificia potestas, necesse est igitur, ut à Deo eam esse concedant; at quod à Deo est, quisnam negarit divinum esse? Quo autem modo Ecclesiæ originem Divinam esse demonstravimus, eodem ejus conservationem Deo adscribendam esse censemus. Quanta excogitata insidiarum strues, quanta adhibita machinarum vis atque multitudo, quibus Sacrum istud Imperium jam ab aliquot seculis convellere, atque evertere studuerunt Terrarum Domini! Frustrà tamen omnia & in cassum; nimirum ut cunctis innotescat, justissimum rerum omnium Judicem huic Monarchiæ præsidere, qui & potentiam ejus in aliquot secula duraturam Oraculis suis prædixit, & eâ fini *Erroris Spiritum atque efficaciam seductionis* quàm liberalissimè Humano generi se elargiturum promisit.

Verum quò pro labor? Non nobis est Scripturis, utpote alienis & ad præsens institutum minime idoneis, sed ex propriis atque genuinis principiis Universa Catholicorum Fides; quatenus ab Hæreticis oppugnatur, est demonstranda. Id quod commodissimè à nobis expeditum iri spero, si admirabilem Religiosi Imperii machinam distinctius contemplemur, omnesque ejus leges, & repudiatas ad Hæreticis opiniones ex ordine perpendamus.

Quantum autem ad tractationis hujus methodum, animus erat Euclideanam adhibere, quâ ex paucis fundamentis universam Sacræ Monarchiæ structuram erigerem, verum experientiâ edoctus comperi, tam varia, tam diversa, tam inter se contraria firmamenta ab

Architectis fuisse ruderata, omniaque mirificentissimis artibus adeo affabrè concinnata & cœmentata, ut cuncta simul uno obtutu exhibere non liceat. Quædam enim extant, quædam inclusa aliisque oblecta latent, ut difficile sit, eo quo juncta sunt ordine, singula repræsentare.

Tria tamen fundamenta omnibus aliis substructa deprehendi :  
*Definitionem unam, Axioma unum, unum Postulatum.*

## DEFINITIO.

*Ecclesia est Imperium Spirituale, sed visibile, quo homines fidem ab uno Spirituali, sed visibili capite, Pontifice scilicet Romano, præscriptam profitentur, conformemque ei obedientiam præstant.*

## AXIOMA.

*Quicquid ad Ecclesiam hujus defensionem atque amplificationem facit, id omne & solum censeri debet verum esse, pium atque sanctum.*

## POSTULATUM.

*Liceat Ecclesiam hanc extendere usq; ad fines Terræ.*  
Quamvis verò hæc prima sint principia, quæ sola omnem demonstrationis apparatus non constituunt, sufficiunt tamen illa firmandis reliquis principiis omnibus, quæ ipsa quoq; suo loco in apertam lucem protrahemus, ut de iis ne Hæreticorum quidem obstinatissimo dubitare liceat. Rationes autem, quibus inductus fui, ut de  
hæc

hac materie ad Vos potissimum scriberem, *Fratres Reverendissimi*,  
 jam ex iis, quæ narravi, abundè patent, ut superfluum videatur  
 pluribus eas exponere. Quod si sanctum hocce institutum iudicio  
 vestro comprobaveritis, ea, quæ epistolari brevitate adumbranda jam  
 suscepi, diligentius aliquando, & exactius digestâ serie, & proliori-  
 bus commentationibus comprehendam, omnesque Catholicæ Re-  
 ligionis artes, qua potero simplicitate atque ingenuitate explicabo  
 Sic Valete in Domino. Parisiis Cal. Aug. A. à Beatæ Virginis partu  
 6166 CLXVI.

JANI ALEXANDRI  
 FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani

*De*

Catholicæ fidei utilitate atque  
 Necessitate.

EPISTOLA SECUNDA.

*Ad*

*Reverendissimos Viros*

ADRIANUM ET PETRUM

de WALLENBURCH.

Quod

**Q**uod nuper vobis promiseram, *Viri Reverendissimi*, me singulorum Catholicae Fidei capitum utilitatem, atque necessitatem ex ordine demonstraturum, id Vestris jam auspiciis, Vestroque ductu aggredior. Ignoscite morae, quam alia, quibus distractus fui, negotia haecenus interposuere. Polliceor vicissim, majori eam diligentia atque promptitudine in posterum me esse compensaturum, modò ea, quae scribimus, iudicio Vestro comprobentur.

Primum igitur, cum ipsa doctrinae ratio postulet, ut ea caeteris omnibus praemitantur, quae aliis & certitudinem conciliare & lucem quandam inferre possunt, à *Verbo DEI* initium faciendum esse arbitramur. Illud enim licet Haereticorum erroribus quam proximas commodissimasque occasiones praebet, à Nostris tamen incredibili quadam & divina propemodum dexteritate ad usum institutumque nostrum ita inflecti atque accommodari solet, ut nos utilissima nostra dogmata, non minus, quam Illi perniciosissimas suas opiniones ei superstruere videamur. Quare non solum Catholici Scriptores, atque eos inter Celebratissimus *Bellarminus*, verum Iplius quoque Sacro-Sancti quod *Tridenti* habitum est, *Oecumenici Consilii Praesides*, omnem de Religione tractationem inde ordiendam esse censuerunt, istam *de verbo DEI* materiem primam omnium disceptandam proposuit Legatus Cardinalis de Monte, *per istabilire, conquali armi si dovesse pugnare contra gli Eretici ed in qual base dovessero fundare la lor credezai Catholici*, ut ipsa Eminentissimi *Pallavicini* teneamus verba, eademque opera ostendamus, quam certam semper *cereas* istas *Scripturas* ad partes suas pertrahendi fiduciam habuerint Catholicae Fidei Doctores. Quamvis enim ibi *Fr Vincentius Lunellus*, *Sylvestri Prieria*, *Eckij* aliorumque Antecessorum exemplum secutus, de *Ecclesia* prius disputandum existimaverit, tanquam de priori ac solidiori Theologiae firmamento, cui & Sacrarum literarum & Traditionum autoritas unice initeretur; consilium tamen istuc non à malo quidem animo profectum, sed certè imprudens ac periculosum, à reliquis Patri-

bus

Hist. Conc.  
Trid. l. VI.  
cap. XI.

bus rejectum fuit, eo quod Ecclesiæ autoritas ut rata jam, fixa ac determinata poni, nulloque obtentu in controversiæ discrimen adduci deberet, ne impia fortè aliqua vel invitam mentem subiret atque sollicitaret dubitatio. Quare neque nos ista *Romana Ecclesia Divinitatem* inter demonstrandas Veritates collocavim⁹, sed eam priorijam epistolâ, tanquam primum indubitatumque posuimus principium, eâ lege, ut quicumque illud negare vel in dubium vocare audeat, non imbellibus sanè verbis, sed urgentibus verberibus corrigendus, ac, nisi maturè serioque resipiscat, tanquam Sponsæ Christi Violator, Sacræ perturbator Reip. & tum Divinæ tum Semi-Divinæ Majestatis reus, vel *ad blasphemantis linguæ excidium* condemnandus, vel *è Viventiâ tollendus terra, & expiaticibus ustulandus sit flammis*, juxta Ipsius Christi præceptum; *Nisi quis in me* (id est, in Ecclesia, quæ unum cum capite constituit corpus) *permanserit, abjectus extra vineam statim ut palmes arescet* (id est, extra Ecclesiæ communionem eliminatus variis cruciatibus ita emaciabitur & torrefiet, ut ad ignem concipiendum eo sit aptior) *Deinde congregentur isti palmites, & in rogum abjiciantur, & ardeant.*

Joh. XV.  
comm. VI.

Nec sanè alia in eunda est via, cum vel ex vulgato scholarum præscripto, *Contra negantem principia non sit disputandum*, nosque jam exploratū habeam⁹, Ecclesiæ nostræ autoritatem iis annumerari debere, quæ *ἀναπόδεκτα* sive *indemonstrabilia* à Philosophis vocantur, quæq; ipsa licèt probati non possint, aliis tamen probandis inserviunt.

Neq; nos conturbare hîc debet, quod multo cum clamore Hæretici blaterant, *indemonstrabilia* tribus modis dici; esse nimirum quædam, quæ ob falsitatem vel obscuram perplexitatem atque incertitudinem demonstrari non possunt: alia verò *indemonstrabilia* esse, eo quòd tantam tamque apertam habeant veritatis lucem, ut animo nostro ubi vel tantillum iis attenderit, continuò approbentur, nihilque profertur possit, quod firmitus iis sit, aut evidentius: quædam denique talia dici, non quòd omninò demonstrari nequeant, sed quòd demonstrata jam fuerint, adeoq; ulteriori probatione non indigeant sed in ratiocinationis progressu tanquam certa jam & evidentia

O o

prin-

De prob.  
per testes  
cap. 1. §. 1.

In psalm  
cxix. assen-  
sum requi-  
rit fidei non  
probatae  
Stromat. 1.  
viii. fide  
amplecti-  
mur in de-  
monstra-  
bile princi-  
pium Heb.  
xi. 1. eorum  
quæ non  
videntur.

principia assumantur. Illi igitur Ecclesiæ nostræ autoritatem primo significato indemonstrabilem esse, per deridiculum quidem concedunt; secundo autem & tertio negant. Imò indè conficiunt, cùm; Vobis Ipsis monentib<sup>9</sup>, *Intellectus citra rei evidentiam aut probationem, temerè ei assentiatur, Ecclesiæ autoritatem non nisi temerè credi.* Ego verò eam tribus illis omnibus modis, adeoque κατ' ἐξοχήν *simpliciter & perfectissimè indemonstrabilem esse censeo.*

Etenim eam primo significato talem esse vel inde manifestissimè (patet, quod omniū confessione, nō ad scientiam perineat, sed ad fidem adeoque, juxta *Basilium* τὴν ἐν τῷ ἀλαστανίσκῳ πίσεως ἐπιζητεῖ συγκρατάθεισιν Nam, ut rectè Clemens Alexandrinus, πῖσις πῶς λαμβάνομεν ἀναπόδεικτον τὴν ἀρχαί. Quæ quidem Illi de Verbo Dei, quod suâ se luce manifestat, nos verò longè accommodatiùs de Ecclesia pronuntiamus. Unde mirum non est, cùm Fides omniū consensu sit obscura, ut pote τῷ μὴ βλέπομενων, quòd & ista propositio, *Ecclesia Romana est divina fidei & morum Præceptrix* non adeò evidentis certitudinis esse videatur. Est tamen inter hanc & alias ob falsitatem vel obscuritatem indemonstrabiles propositiones discrimen hoc immane quantum atque ingens, quòd reliquæ solummodo demonstrari non possint, hæc verò demonstrari nec possit nec debeat. Idenim certè fieri non debet quod si quis faciendum suscipiat, & se ipsum ludibrio dabit & sumam rei indiscriminè adducet. At quicumque Ecclesiæ autoritatem ex vulgò notis principiis demonstrare enititur, illum, experientia attestante, necesse est vel in infinitum circumagi circulum vel in obscuriora, semper atque incertiora incidere.

Unde ipsis quoque Hæreticis astipulantibus, concludimus, Ecclesiæ Romanæ Divinitatem primo sensu esse indemonstrabilem.

Quomodo autem talis quoque dici possit secundo significato, id paulò difficilioris est disquisitionis. Nam, ut rectè etiam monuistis, *FRA TRES REVERENDISSIMI, evidentiam frustra quæras in rebus Romanæ Fidei, utpote quæ sunt de non apparentibus, hoc est, Interprete Apostolo, de iis, quæ non existunt unde evenire solet, ut quando verba ista audimus, Ecclesia Romana est Omnium Magistra, non fit.*



firmum statim assensum iis præbeamus , quasi indubitata subesset veritas , nec vim ullam in animo nostro sentiamus , quâ ad credendum compellamur. Quocirea propositio ista non videtur annumeranda iis, quæ simplici mentis intuitu simul atq; perceptæ sunt, nobis approbantur. Verùm enimverò , ut difficultas ista tollatur, diligenter est attendendum, Animum hominis dupliciter posse esse affectum. Vel enim est rudis & ab omni, quod ad rem faciat, præiudicio liber, vel congruâ institutione dispositus ac veluti odore quodam imbutus. Ille ut plurimum ad percipiendam hanc veritatem idoneum lumen non habet , imò interdum ad credulitatem adeò est obstinatè indocilis , ut non nisi eo lumine, quod ex succensa splendet Pyra, efficaciter collustrari queat: Hic verò ita est comparatus , ut sine ulla ratiocinatione aut erroris formidine in utrumvis, quod agunt, oculus Ecclesiæ Romanæ indormiat, & pro scientiæ fideique omnis extremo habeat. Venerabile istud & viro dignum ; *Ipsa dixit*. Talis autem animus eâ solet esse perspicientiâ , ut quæ vel oculatissimi se videre negant Phasmata , ille distinctè accuratissimèque omnia cernat, haud secus atq; illi qui Dominicâ die vitalem lucem primit<sup>o</sup> aspererunt & Lemures & Lamias & quæcunque alia *noctium occur sacula, & bustorum formidamina & sepulcrorum terriculamenta* videre dicuntur, quæ alii quâcunque luce aut quocunque subsidere prognati, si cœtera vel Lynceos habeant oculos , nequeant deprehendere. Neque sententiæ huic nostræ derogare quippiam debet, quòd istiusmodi, quæ diximus , ingenia insipida plerumque sint atque inepta , & quòd iis , quæ infirmissimo ætatis tempore à Nutricibus aut Pædagogis præscripta Iphis ac veluti imperata sunt , sine ullo examine aut delectu adhærescant. Non enim inde consequitur, quòd in isthoc notitiæ genere non acutiùs cernant, quam alii. Nunquid enim Ipsa experientia docet, Eos qui imbecilliori sunt visu , incrassissimis tenebris mille rerum species ac discolores figuras conspicere , quæ Aliorum quantumvis vegetam effugiunt aciem ? Nunquid & ii qui ex nimio febris ardore delirant, ea sæpissimè in-

veniunt suaque imaginatione complectuntur, quæ sane mentis Homines omni studio atque contentione assequi non possunt? Nec minus tamen oculorū hebetudo, & febris & delirium in vitiis ponuntur. Ita licet stupor atque stoliditas & inepta ad quodvis credendum propensio inter animi virtutes non recenseantur, solent tamē illa Homine ita instruere, atq; perficere, ut principiū hoc nostrū de Ecclesiæ autoritate primo statim occurso amplectatur; ipsique firmiter adhæreat. Oportet enim, ut inter facultates nostras & eas res quæ nobis obversantur, certa quædam ratio atque proportio intercedat, ut quod in proverbio est, similes semper labra lætucas habeant, & in eum finem, in spem scil. carduorum mature obdurescant.

Quare nemini mirum videri debet, quod ea quæ de Romanæ Ecclesiæ Divinitate asserim, Intellectui nondū initiato nec principiis nostris assueto tantisper videantur obscura, donec, ut solemnibus mysticæ Theologiæ vocabulis utar ita fuerit, *stultificat*, ut ad *non apparentiarationis entia* percipienda devenerit capax. Quod ipsum quibus artibus confieri possit, & jam à Sapientibus nostris hæctenus factitatum fuerit, aliàs fusius & peculiari tractatione docebimus.

Atque ita quidem ostendimus fundamentalem nostram de Ecclesia doctrina & primo & secundo significatu esse *indemonstrabilem*, restat, ut tertio quoque sensu, hoc est, ex factæ jam demonstrationis hypothese talis esse dicatur. Id quod ex priori nostra epistola aperte constat. Jam enim ibi Pontificiæ religionis & in ea fundatæ potestatis demonstrationem, non à priori quidem, ut Scholastici loquuntur à posteriori nihilominus confectam dedimus.

Unde speciminis tamen ergo vel unicum hic repetamus argumentum, illudque vestro exemplo in hanc trianguli formam rotundemus;

*Potestas, cui viribus humanis resisti non potest, illa cælitus est delapsa,*

*Atqui Potestati Ecclesiæ Romanæ humanis viribus resisti non potest.*

*E. Ecclesiæ Romanæ potestas cælitus est delapsa.*

Prima propositio per se est clara; alteram multorum seculorum experientia probat. Unde tertia rigida perstat atque immota veluti Marpesia cautes. Quod

Quod si quis adeo immobilis sit cerebri, ut, quantumvis syllogistica circulatione in gyrum circumagatur, de vertigine tamen possit esse securus, is demonstrationis hujus propositiones *per Testes* etiam confirmare poterit, Vestro, *Viri Reverendissimi*, exemplo; qui superiori anno admirabilem istam à JCrts petitam probandi rationem In Prof. promulgastis, & à nescio cujus Helmstadiensis Theologi ineptiis tantum cum successu defendistis, ut *in posterum nihil solidi vobis videntur à Protestantium Theologis expectandum, si nimirum & Divinæ & Humanæ Juris prudentiæ ignari fuerint*, quales sc. in Julia ista Academia hactenus fuerunt *Calixtus, Conringius*. Eorumque Discipuli, miselli plane Tenebriones atque inficetum Hominum genus.

*Testium* autem aliquot adduci possent cohortes, qui de invicta Romanæ Ecclesiæ Majest. scripserunt. Nunc unicū tantum producam, De Mon. Hist. c. xviii. sed qui & de præteritis & de futuris temporibus testatur, Historicum simul & Prophetam beatissimum *Campanellam*; *Quod si, inquit ille, omnes Principes & Populi omnia sua auxilia conferant ad solvendum Papatū, nihil tamen efficient. Si expeditio Crucigerorum saltem unica indiceretur, omnes ubique Religiosi, quorum multa sanè milliones, ad arma provolarent, mundo universo linguâ gladiisque restituri ac terrorem intussuri. Neque enim Populi contra Homines sacros arma inferre essent ansuri, atque nisi omnes, maxima tamen illorum pars esset succubitura, ceteri verò sic exterriti animū abjicerent. Et etiamsi Papa sceleratus sit homo, tamen Princeps gladium in eum stringens vincetur etiam vincens, id quod in Rogerio Guiscardo Rege Neapolitano manifestum factum est, qui prælio vincens, Papæ pedibus tamen osculum figere coactus fuit.*

Imo idem ille syllogismus ( adhibitâ tamen eâ, quam diximus, cautione) ex innumeris Sacrarum Literarum testimoniis probari poterit, ex quibus unum sufficiat: *Datum est, (scilicet à Deo) Ei (Ecclesiæ Septicollis) bellum facere cum sanctis & vincere eos, & data est Ei potestas in omnem tribum & linguam & Gentem. Et adorabunt Eam Omnes habitantes in terra. Unde Ipsamet in sui ipsius admirationem raptâ, Sedeo Regina, inquit, nec sum vidua, nec videbo luctum. Habet enim*

Ap. xiii. 7.  
Ap. xix. 7.  
Matt. xvi. 18  
Luc. xi.

enim promissum, quod *porta inferorum ei non praevalent*, & promissi rationem, *Nam si Satanas adversus se ipsum dissideret, quomodo staret regnum ejus?*

Deniq; quemadmodum Philosophus nuper hypotheses suas propterea pro certis assumpsit, quod omnem rerum Universitatem iis superstruere, atque omnia phaenomena inde explicare potuerit, sic nos quoque eodem jure principium nostrum ponimus, ac duobus istis syllogismis confirmamus.

*Illud cui immensa aliqua & ex mille partibus composita moles adeo firmiter innititur, ut nusquam vacillet aut nutet, omnino solidum est fundamentum.*

*Atqui huic Propositioni, Ecclesiae Romanae Autoritas est Divina, tota Pontificii Imperii moles innititur. E.*

*Item: In quod omnia dubia possunt resolvi, ita ut ipsa non solvantur, illud est primum dubiorum omnium principium.*

*Atqui haec propositio &c. E.*

Sic à Vobis **FRATRES REVERENDISSIMI**, didicimus in forma argumentari, id quod ad persuadendum mitificentissimam efficaciam habere dicitur, adeo ut non dubitem, quin Haeretici jam vel his syllogismis perterriti, manus nobis suas sint daturi. Quod nisi ex templo fiat, proxime ad demonstrationes de *verbo Dei* pergemus. Vos interim favete & plaudite. *Parisis, in Conventu majori Cal. Octobr, clc lcc LXVI.*

JA

JANI ALEXANDRI  
FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani

EPISTOLA TERTIA.

Ad

Reverendissimos Viros

ADRIANUM ET PETRUM

de WALLENBURCH.

**Q**uibus rationibus induci *Ecclesia Romanae auctoritatem* inter  
ἀναπόδεικτα *sive indemonstrabilia* retulerimus, ipsamque ad eò  
demonstrationum nostrarum seriem à Verbo DEI ordien-  
dam esse statuerimus, id superiori jam epistolâ fufius est explicatum.  
Quare ad institutum ipsum nunc accedemus, atq; omnes per uni-  
versam Theologiam à Lutheri & Calvinii Sectatoribus in controver-  
siam vocatas propositiones primum unde simpliciterque propone-  
mus, dein singulis, ubi opus erit, explicationem, ac postremo loco  
demonstrationem subjiciemus. Quantum autem ad probationis for-  
mam attinet, animus quidem erat *sillogisticis figuris* uti, verum con-  
siliū postea mutavimus consultiusque judicavimus, rationes  
nostras libero potius atque continuo sermone exponere, quam eas  
vel ad *Barbaræ* sinum effigiare, vel in *Celarentis* aut *Felaptonis* in-  
cludere modulos, præsertim cum omnis illa syllogistica textura, si  
ad Vos respiciam, inutilis penitus fuisset atque supervacanea. Au-  
dio

dio enim omnia quæ vel oculis vel auribus vestris usurpatis, ubi vel extimam *pinalis* vestræ *glandula* superficiem attingunt, vi quâdam planè mirificâ & tantum non *transsubstantivâ* in *formales* syllogismos confestim *triangulificari*.

QUOD DIGITUR TOTI SACROSANCTÆ  
MONARCHIÆ FELIX FORTUNA TUMQUE,  
& Omnibus, qui Papæ Numen invocant, ad vitam opimius splen-  
didiusque transigendam utile sit atque salutare, esto

PROPOSITIONI.

*Ad obtinendam salutem Religio aliqua est  
absolutè necessaria.*

EXPLICATIO I.

CUM propositum nobis fuerit non nisi ea demonstrare Catholicæ  
Fidei capita, quæ à Lutheri & Calvini Affectis impugnantur, mi-  
rum fortassis alicui videbitur, quod isthanc Propositionem probandâ  
susceperimus. Eâ enim & illi non tantum ut verâ defendunt, sed etiâ  
ut necessariam urgent, & ad versa sentientes ex ipsa hominum socie-  
tate ejiciendos existimant. Mirari tamē. Ille desinet, ubi cognoverit,  
eandem quidem verbis, sensu verò diversissimam ac Hæreticis sen-  
tentiam statui. Nam quantum quidem advocem RELIGIONIS,  
idem. Illis sonat atque Nobis, *metum* scilicet *Invisibilis alicujus &*  
*supra humanam conditionem elatæ Potestatis, quæ à Mortalibus, utpote in-*  
*ferioribus atque impotentioribus, submissio cultu est prosequenda SALU-*  
*TIS* verò vocabulum, licet *generatim* ab utraque partium eodem  
sensu accipiatur, pro *summo* nimirum atque *extremo Veritatis, Pietatis*  
*& Sanctitatis adeoque universæ Religionis fine; specietatem* tamen diver-  
sissimo usurpatur significatu. Cum enim ex *axiom. unic. ep. prim.* illud  
solum pium, verum & sanctum censerî debeat, quod ad Ecclesiæ,  
id est, ex *def. un. ib.* imperii pontificii defensionem atque amplificati-  
onem facit, necessario colligitur; voce SALUTIS nihil aliud  
Nobis significari, quam *aspectabilis illius, quod sub Christi nomine Vi-*  
*carius Ejus in terris exercet, Dominij magnitudinem atque perpetuitatem.*  
Hæ.

Def. 1.

Def. 2.

Def. 3.

Hæretici verò longe aliter vocabulo isto abutuntur, adnotandum scilicet nescio quod imaginarium Christi regnum, quod *invisibile* dicunt, heic quidem terrarum *internum*, in cœlis verò *æternum*, & quod cum nostra salute, id est, cum Romani Imperij incol unitate consistere posse disertè negant. Ubi, ne quis forte erret, in transitu observandum, *Imperij Romani* nomine haud quaquam nobis intelligi profanum illud, quod vulgò hodie vocât. l' Empire d' Alemagne, Germanis *das Römische Reich* / sed istuc nostrum verè sacrum, imò sacerrimum, quod Pontifex Noster Vice-Deus in terris administrat. Nam quantam ad Cæsares & reliquos Mundanos Reges, illi nec Romæ sunt nec in urbem illam quicquam obtinent juris, imò quicquid habent, solius Ecclesiæ benefico possident, tanquam *feudum*, eoque nomine ipsius sunt *Vasalli*, unde imperitè & ridiculè admodum Romanorum sive Imperatores sive Reges vocantur.

Hæreticorum igitur explicatio toto cœlo à nostra distat, dum illi per *salutem* intelligunt, eam, quam immortalitatis nimium avida ac proinde credula Mortalitas, in Elysiis, credo, campis fruendam expectat, beatitarem; nos verò certam ac præsentem felicitatem notamus. Quam posteriorem significationem priori nobiliorem longè atque excellentiorem esse, & ad farinam, quod ajunt, multò plus facere, vel indè patet, quod ex omnium Prudentum judicio *bona certa atque præsentia futuris & dubiis sint præferenda* adeoque & Ecclesia de *præsentibus semper gaudeat*.

## DEMONSTRATIO.

Cùm per *Salutem* nihil aliud intelligatur quam Ecclesiæ incolumitas ex *def. 3. Prop. 1.* Ecclesia autem ex *def. un. Epist. 1.* sit regnum spirituale, quod in metu & obedientia spirituali, adeoque ex *def. 1. prop. 1.* in religione unicè consistit, necessariò colligitur, salutem sine aliqua religione obtineri non posse, id quod erat demonstrandum.

Vis hujus complexionis adeò evidens est & firma, ut non sapien-

Pp

tes

res solum omnes Legislatores & Rerumpublicarum Architecti ab  
 omniævo eam observaverit, sed & pueri hodiè in scholis discant,  
 Remp. etiam mundanam consistere nullam posse, nisi ipsi vel præ-  
 struatur vel prætextatur saltem Religio. Politicorum verò Cyclici  
 quique scriptores) quorum innumerabilem in Germania vestra  
*pullulaginem* hoc seculo *vermiculari* Eminentissimus noster *Richelius*  
 solebat dicere) ex *Platone, Aristotele, Tullio, Seneca*, ad nauseam usque  
 sexcenties dictant, ac milies consarcinatis systematibus repetunt,  
 Religionem Imperiorum fundamentum esse. Quod quidem non  
 adeò operosè erat inculcandum, cum nemo de eo dubitare possit,  
 nisi qui & expers planè sit omnium rerum & in omni Rep. peregri-  
 nus. Quod si enim, ut cum *Plutarcho* loquar, *universam terrarum or-  
 bem per lustres, invenire possis urbes muris, literis, legibus, domibus,  
 opibus, numismate carentes gymnasiarum & theatrorum nescias: urbem  
 templis Diisque carentem, quæ precibus jurejurando, oraculis non uti-  
 tur, non bonorum causa sacrificet, non mala sacris avertere conetur nemo  
 unquam vidit. Facilius ego urbem condi sine sole posse putem, quàm opinione  
 de Diis penitus sublatâ civitatem coire aut constare. Atque hoc est quod  
 Savaèdra, cum erubesceret iterum dicere, quod totius dictum esset,  
 pinguere maluit, Reip. columnis, legibus puta, in aëra fluctantibus,  
 nisi religionis basi innitantur. Idem, sed novè & breviter, ut pleraque,  
 Montanus noster; *Toute police a un Dieu à sa tete.* Nimirum hominum pru-  
 dentium & sapientium negotium semper fuit, populum in regionibus fallere,  
 ut pluchre notavit D. Augustin. de Civit. Dei lib. IV. cap. 32. Ut enim  
 actiones venerabiliores fiant, ad Deum sunt referenda ex consilio Camp.  
 de Mon. Hisp. cap. 9. quando quidem Omnes Divinam potentiam pluris  
 faciunt, quàm humanam, ut rectè observavit Sanctissimo Papæ Alex. VI.  
 à Consiliis Sapientissimus Machiavellus in discurs. de Repub. l. I. c. II. Nec,  
 si homines naturam consideres, res aliter se habere potest. Sunt n.  
 in omnes homines naturâ æquales, ut verè Hobb. de Civ. unde ex na-  
 turalis illius æqualitatis sensu adeoque ex generali atque omnibus*

Contra Co-  
 locen,

Essai 1, 2,  
 6, 16.

MOT-



mortalibus communi ambitione non ita facilè se homo homini, quàm Deo subjicit. Ut verò homo ineluctabili necessitate compulsus in societate vivere possit, pactis quidem & legibus sese obstringit, verum illæ leges non nisi in externos actus & eos quidem certis rationibus probatos armanntur, adeò ut non tam ipsa scelera quàm scelerum deprehensio, nec tam malitia quam imprudentia puniri videatur. *Quisquis igitur injurias, adulteria, rapinas, homicidia occultè committere possit, is certè leges humanas parum curabit, nisi lex alia sit, quæ intus & in animo malè agenti intentet minas.* Hinc Polybius postquam narrasset, religionis curam superstitionemquæ apud Romanos tan-  
*εὐπορεῖ αὐτὰν εἶναι, ὡσεὶ μὴ κατὰ λιπεῖν ἰπερβολῶν,* tanquam ex profundis tenebris lucem aliquam eminens adventantem per rimulam conspiciens addit: *ἐμοὶ γὰρ μὴν δοκεῖσι τὸ πλῆθος χαίρειν εἶναι πεποικμέναι πᾶν γὰρ πλῆθος ἐστὶ ἐν ἀφρονίᾳ καὶ πλήρῳ ὑπεθυμίων ὑδανθραίων ὀργῆς ἀλόγῃ, θυμῷ βίαιᾳ. Λείπεται, τοῖς αἰδήλοις φόβοις, καὶ τῇ τοιαύτῃ τραγωδίᾳ τὰ πλῆθη σωτέραν.* Hæc Stratagematographus iste, cui si quis nolit credere, hæc illæ damnandus est, ut non Lipsii solùm *Monita*, (est enim exiguus nimis libellus) sed ponderosa ipsius R. P. F. *Adami Runtzen Politica*, cum omnibus suis notis & appendicibus, & universis Germanorum Locis Communibus, jejuno stomacho ac sicco gutture deglutiat. Sed one! ad institutum.

Quod si igitur ad quod vis Imperium stabiliendum atque conservandum necessaria sit religio, quanto magis ea ad hoc nostrum requiritur, quod totum sacrum est atque spirituale, nec à Profanis Hominibus, sed à sacratissimo Pontifice administratur. *Per religionem*, inquit sæpius jam laudatus nobis *Thomas, Papa* dominatur *Europa, Asia, Africa, America, &c.*, ut uno verbo dicam, omnibus Christianis hujus mundi. Qui enim religionis Majestate pollent, iis obsisti non potest. Adspice *Samuelem*, qui *Saulum* solio imposuit rursusque deposuit, electo *Davide*. Papa verò quid non in isthoc genere ausus est atque effecit? Adspice *Mosen*, qui solus cum *Levitibus & Sacerdotibus* arma induit contra populum *Israeliticum* rebellantem & contra *Principes* qui cum uxoribus suis *millionem numero* excefferant, atque armis unius tribus sacerdotalis

Fr. in n. ad  
Ant. Fabr.  
de rel. reg.

De M. H.  
c. 19.  
Id. c. 180

*trucidavit unâ die trigesies ter mille homines. De his Sacerdotibus verè dici potest, quod in eorum manibus vivus sit sermo DEI & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagnum quoque ac medularum, ut ait, Anonymus quidam in epist. ad Iudæos c. 4.*

PROPOSITIO II.

*Religio autem naturalis ad salutem non sufficit.*

EXPLICATIO.

Def. unq.

**P**ER religionem naturalem intelligimus comprehensionem notitiarum de superiori aliqua & invisibili Potestate, sive illæ humanis mentibus congenita sint, sive ex contemplatione Universitatis Rerum certâ quâdam ratiocinatione collectæ. Nationes illæ nostratibus dicuntur, *Les cinq points du Catechisme des Deistes, Germanis. Die fünf Hauptstück der allgemeinen natürlichen Religion.* Explicavit eas inter alios ex Nostris quidem, Venerabilis Pater *Garassus*, inter Hæreticos verò *Herbertus*, in Theologia sua fundamentali, quam duobus libellis, altero *de Laïcorum*, altero *de Gentilium religione* est complexus: quorum tractatuum priori obstetricatus est Vir omni Omnium laude & veneratione major, atque eo ipso nomine nobis non nominandus, alteri verò sesquihæreticus ille Belga, quem nostis, ingeniosissimus, *Isaacus Vossius*. Recensentur autem articuli isti hoc ordine: 1. Esse aliquod supremum Numen. 2. Numen illud coli debere. 3. Virtutem cum Pietate conjunctam optimam esse rationem Cultûs Divini. 4. Resipiscendum esse à peccatis. 5. Dari præmium vel pœnam post hanc vitam.

Nos quinque ista axiomata, adeoque religionem naturalem negamus sufficere ad salutem.

DEMONSTRATIO.

**E**X quinque istis modò commemoratis religionis naturalis capitibus, non sequitur; omnes mortales Romano Pontifici obedientiam debere.

debere. Potest enim quis credere 1. esse quoddam supremum Numen, licet non credat Alium aliquem, præter Reges ac Principes, Numinis istius Vicarium, eumque Universalem & Spiritualem in terris existere. 2. Potest credere Numen illud coli debere, nec tamen inde persuasum habet, Pontificis nostri vei nates vel pedes, (perinde enim est, cum totus uniformiter sit sanctus) esse deosculandos, aut ipsum in elevatione super Altari adorandum. 3. Potest credere, virtutem cum Pietate conjunctam optimam esse rationem cultûs Divini; dubitabit tamen, an Virtus omnis consistat in liberalitate erga Clerum, & an omnis Pietas cœcâ erga Ecclesiam obedientiâ absolvatur. 4. Potest credere, resipiscendum esse à peccatis, licet sacramentalem Pœnitentiam penitus ignoret, nec sacro aliquo siclo à sacerdote absolutionem redimendam putet. 5. Tandem potest credere, dari præmium vel pœnam post vitam hanc, licet fortè existimet Poeticum fuisse ac minus sincerum istuc *Sinceri Actii* ad *Clementem* alloquium:

*Magne Parens, custosque hominum, cui jus datur uni  
Claudere cœlestes & reservare fores.*

Proinde ex *defin. un. h. propos. & def. 3. prop. 1.* Religio naturalis non sufficit ad salutem. Id quod erat demonstrandum.

### COROLLARIUM.

*Ergo, ex solo lumine naturæ non constat Pontificem Romanum esse Dominum Universi, nec mysterium hoc omnibus Gentibus est revelatum.*

Sunt qui objiciunt omnia Gentilium, oracula & auguria, quibus Romanæ potentæ æternitas ab antiquissimis temporibus fuit præsignificata. Enimverò fateor mirabile esse atque omnium & quatuor & duodecim Hebræorum Vatum oraculis, & Urbis Romæ primordiis longè vetustius istuc Prophetæ *Homeri Iliad. γ.*

*Nunc autem Trojana Æneas sceptrâ tenebit.  
Et Nati Natorum & qui nascentur ab Iphis.*

Pp 3

Quippe

Quippe Jupiter Romanis

----- nec metas rerum, nec tempora ponit,  
Imperium sine fine dedit,

Ut Maro postea vaticinatus. Nec per viros tantum, sed & per mulieres fatidicus ille Spiritus Romani Domini æternitatem prædixit. Legimus enim istuc *Erinna* Poëttæ, quod ut Delphicam majestatem propius accedat;

Quæ Romano idiomate ita se habent;  
Filia ô Martis mihi Roma Salvæ,  
Aureo regina decora cultu,  
Quæ vel in terra *stabiles Olympi*  
*Incolis arces.*

Nam dedit soli Tibi cana Parca  
Regium sceptrum *minimè atterendum,*  
Ut potens rerum domineris una  
Imperitesque,  
Ipsa quæ gaudet variare cuncta,  
Resque transformans Hominum Vetustas  
Spirat hæc uni tibi semper auram à  
Puppe secundam.

Nam ex, *Charonensis* augurio, *Fortuna* quidem alata est & vaga, & modo *Assyrios*, modo *Medos*, *Persas*, *Macedones*, *Carthaginenses* *lustravit*, *Eosdemque destituit*, sed ad *Tiberim* alas posuit, *volubilem globum* reliquit, & urbem *perpetim inhabitatur* intravit.

Tandem & in extremam admirationem meritò omnes rapit *Vates Venusinus*, qui non Romani tantum Imperii, sed Pontificatus quoque nostri perpetuitatem, æthereo, qui repletus erat, spiritu agitarus præcinuit:

l. 3. Od, ult.

*Non omnes moriar, multa que pars mei*  
*Vitabit Libitinam: usque ego postera*  
*Crescam laude recens, DVM CAPITOLIVM*  
*SCANDET CVM TACITA VIRGINE PONTIFEX,*

Id est.

Id est, *in aeternum*. Quæ ultima verba Paraphrastes noster Gallus, Venerabili *Marolio* longè venustior, prægnantibus vocibus ita reddidit; *tandis que le Pontifice montera au Chateau de S. Ange quelque religieuse, qui le laissera faire & ne dira mot, c'est à dire, tandis que le Monde durera.* In quem locum novissimus Commentator monet inspiciendas esse Pontificum, itemque Dominarum *Marozie, Theodora, Vannocia & Olympie* vitas, non sanè quas Hæretici scripserunt, sed quas nuper *Lugduni* edidit *Rev. P. F. Franciscus Carriere, Aptensis Minorita Convent. D. Theol.* amicus noster singularis, & quem honoris causa nominamus.

Sunt igitur qui existimant, Hominem attentum & salutis cupidum, ex his & consimilibus Gentilium oraculis, Pontificii Imperii Divinitatem atque æternitatem colligere facile potuisse, adeoque *Romana Ecclesie Potestatem EX IPSO LVMINE NATURÆ* Mortalibus innotescere.

Verùm enim verò quicumque illi sint, qui contra *Corollarii* nostri veritatem talia objectant, iudicio quidem meo oppido falluntur. Nam primum quidem oracula ista nequaquam *Universali Naturæ Lumini*, sed vel *Paucorum astutiæ* vel *Casui* vel *Lectorum* potius & *Interpretum* quàm *Autorum ingenio* sunt adscribenda, neque ad *naturalem religionem*, sed ad *δαρμονίαν διδασκαλίαν*, hoc est, ad potissimam partem mystici *Choragii* pertinent. Deinde licet illa præsignificent Imperii alicujus *Romani* atque in eo *Sacerdotalis Ordinis æternitatem*, minimè tamen isthanc portendunt *Monarchiam*, quam in *Universum fere terrarum orbem Pro-Christus* Noster extendit. Hoc enim est *mysterium à seculis absconditum, nec nisi ultimis temporibus revelatum, quod nec oculos antea viderat, nec audiverat auris, neque in cuiusquam descenderat mentem.* Quippe inter profanum illud *Regum, Consulum aut Cæsarum Imperium*, cui olim *Roma obnoxia* fuit, & inter hoc nostrum, *immensa interjecta est abyssus*, illudque ab isto superatur.

*Longius terra plaga quàm remoto  
Distat Olympo.*

*Etc.*

II. Nipotif-  
mo di Ro-  
ma part. I.  
lib. I.

Eleganter discrimen hoc explicuit *Nepotismi* Scriptor, cuius legendi mihi nudius tertius demum copiam fecit R. P. *Sampercus*, & ex quo, cum dubitem, an ad manus vestras jam pervenerit, pau- cula isthuc referenda duxi; Parve nata Roma per signo reggiare „ l'Universo, e ciò si può dire con buona ragione, mentre l'ha „ signoreggiato e signoreggia. ---Ma nel tempo che Roma era „ Republica nel tempo che gli Imperadori erano in Roma, Roma „ non s'ingeri mai à commandar le conscienze, nè obligò in alcun „ tempo l'anime degli Huomini, à render tributo così grande al „ Vaticano. --- Il Pontefici tutto al contrario confondono insieme, „ e lo Spirituale & temporale, volendo di queste due potenze un „ sol corpo, & attaccandosi più allo spirituale che al temporale, „ obligano e i prencipi e i Popoli à prestarli un' ubbidienza si „ esatta, che le sola memoria spaventa il pensiero ed il cuore. Quel „ chiudere i pontefici le porte del Paradiso allor modo, quell „ aprir quelle dell' Inferno al loro piacere, obliga i Popoli à scordarsi „ della ubbidienza dovuta a loro Prencipi, è di prostrarli riverenti à „ loro predi. La Republica che dominava il Mondo con la poli- „ tica, gli Imperatori Romani che lo signoreggiavano con l'armi, i „ Tiranni che lo forzavano con la Tirannia, non penetrarono mai „ massime così recondite, ne seppero humiliare i Popoli alla lor „ divotione, comme s'humiliano al presente. Hæc ille. Ex qui- bus omnibus constat vanum esse quod Nonnulli dicunt, univer- salem Pontificiis nostri Monarchiam ex lumine Naturæ pervideri posse. Proximè ad alia progrediemur. Vos verò quam optimè Valetè, *Viri Reverendissimi*, Paris. in Conv. maj. Id, Novemb. 1666.

JANI

JANI ALEXANDRI  
FERRARII

Cœnobitæ Augustiniani.

De

Utilitate atque Necesitate Catho-  
licæ Fidei,

EPISTOLA QUARTA.

Ad

Reverendissimos Viros

ADRIANUM ET PETRUM

de WALLENBURCH.

VIRI REVERENDISSIMI;

**A** B exortu penè Urbis Martiæ strenarum usus adolevit, autoritate  
Tatii Regis, qui verbenas felicis arboris ex Luco Strenuæ anni  
novi auspice primus accepit. Nomen indicio est, Viris Strenuis  
hæc convenire ob virtutem, atque ideò Vobis hujusmodi insigne  
deberi, quorum divinus animus magis testimonium vigilantia, quàm  
omen exspectat. Agnoscitis Symmachi verba quibus Ille Valentin.  
Theodos. & Archadium Augustos olim est veneratus, sed quibus  
Reverendissimas Vestras Dignitates potiori longe, jure majorique  
merito nunc compellamus, quod strenuam adeo operam, non pro-  
fani alicujus Imperii causâ sed pro sacro Ecclesiæ Romanæ Prin-  
cipatu

Lib. X.  
cap. 35.

Qq

cipatu

In Præf.  
Meth. Au-  
gust. edit.  
ult.

cipatu, hætenus navâstis. Vos enim estis, qui mandato sanctissimi D. N. Alexandri IV. ad Rheni tractum tunc Nuntii Apostolici (super quem nunc sint preces & pax in Castello Gandolphi) ex armamentario vestro primi protulistis tela novæ planem fabricæ ac Priscis Mortalibus incognitæ, *AVXILII* nimirum *SCVTVM & GLORIÆ GLADIVM*, quæ quanto terrori fuerint Protestantibus, Evangelicis, Reformatis (quibusvis tandem censeri velint nominibus) satis constat ex altis clamoribus, atque

*horrendo ululatu*

quo Illi aerem undique complêrunt. Adeo, ut circa illa ipsa tempora (agebatur autem annus fere hujus seculi quadragesimus tertius) Catti trans Taunum & Melibocum excitari ad arma fartius conclamaverint, suaque adversus Ubios, quorum sedes tunc habitabatis, præsidia locaverint, tanta cum trepidatione, ac si extremum sibi metuerent à redivivo Germanico aut Silio exitium.

Sed non ob Vestram solum Strenuitatem strenas Vobis Catholica Ecclesia debet, verùm etiam propterea, quod nuper Calendis ipsis Januariis arma illa vestra à rubigine quidem nonnihil „ exesa, sed de novo expolita, Venerabilibus in Archiepiscopo Moguntino & Coloniensi Pastoribus, & animarum curam gerentibus strenæ loco obtulistis, simul ipsos cohortati, ut novo isto anno, novis animis Hæreticos vincant, deque iis, si minùs publicè atque solemniter triumphent, intra conopea saltem sua festivè ovantes tripudiant. Postulant enim strenarum leges, ut Donantibus *ἀντίδωρος* mittantur, quandoquidem ex veteri instituto munera.

*Hæc damus alternis accipimusque die.*

Quare cum doni illius usus sit omnibus communis, adeoque ad me etiam pertineat, ne inter Alios & ipse ingratus esse existimarer, Vobis, Viri Reverendissimi, & ob publicæ salutis defensionem, & ob eximiam Vestram liberalitatem, munusculum aliquod offerendum judicavi; non sanè auro ductum, cum pro cœnobitica nostra „ paupertate divitis metalli honore non gaudeamus, sed, quale  
à tenu.



à tenuitate mea proficisci potest, chartaceum istuc, quo nonnullas  
 consignavi nuper à me cæptas vobisque inscriptas Catholicæ Fidei  
 demonstrationes.

In quarum serie, ut ad ipsam rem accedamus, ex instituti nostri  
 ratione nunc sequitur.

PROPOSITIO III.

*Ad obtinendam salutem, sive ad Regulam Pontifica-  
 tum Romæ stabilendum atque conservandum opus  
 est præter religionem Naturalem aliâ aliquâ, quæ  
 supernaturalis dicitur.*

EXPLICATIO.

Quòd per salutis adeptionem nihil aliud significetur, quam Re-  
 „galis Romani Pontificatûs stabilimentum, ex Prop. I. aperte  
 constat. Unde & nos vocibus istis eodem sensu promiscuè utemur,  
 id quòd hic semel monuisse sufficiat.

„ Per supernaturalem verò religionem intelligimus illam dogma-  
 „ tum ac rituum congeriem, quæ non ex communi atque omnibus  
 „ usitato Rationis dictamine, sed ex singulari aliqua & immediata  
 „ Numinis revelatione uni alicui vel paucis Mortalibus innotuisse,  
 „ atque ab iis ad alios propagata esse dicitur. Quam descriptio-  
 „ nem si conferas cum *def. un. prop. 2.* facile intelligis, quodnam inter  
 utramque religionis genus sit discrimen. Enimvero & hanc, quam  
*supernaturalem* dicimus, *civilem* quoque nominare possemus: vel  
 enim ad civitatem solum constituendam atque conservandam est  
 excogitata, vel, si Ipsum Deum revera Autorem habeat & ad subli-  
 miorem æternumque finem destinetur, non minus tamen huc con-  
 ducit. Ne dicam quod legibus civilibus observantia ejus ut pluri-  
 mùm imperetur, adeoque & illo sensu *civilis* dici possit. Istâ tamen  
 appellatione, quoniam nullam Audientibus ingerit religionis vene-  
 rationem, abstinere maluimus, quemadmodum & voce *præterna-  
 turalis*, utpote quæ nescio quid alienum & odiosum sonat. *Superna-  
 turalem*

*turalem* igitur diximus, vocabulo ex nobiliori particula composito, quodque menti nostræ augustiorem quandam ideam imprimit.

### DEMONSTRATIO.

Quandoquidem *ex Prop. 1.* ad Sacri Imperii constitutionem necessaria est aliqua religio; Naturalis verò *ex Prop. 2.* non sufficit, oportet utique, ut in hujus opem atque supplementum altera illa accedat, quæ supernaturalis dicitur. Id quod erat demonstrandum.

Simplici illo, quem Natura omnes edocuit, cultu vix ulla unquam Civitas contenta fuit, sed semper eum vel ceremoniarum illustravit splendore, vel novorum dogmatum accessione adauxit, five illas ab Aliis tradita acceperit five suopto excogitârit ingenio: adeò ut si universalis omnium Hominum consensus ad veritatem aliquam stabiliendam sufficiat, hinc quoque firmiter concludi possit, supernaturali aliquâ opus esse religione. Quòd si autem solemnior illa atque operosior cultûs divini Pompa ad quamcunque Remp. conversandam requiritur, nemo ita stupidus fuerit, quin pervideat, quantopere ea ad nostrum Imperium sit necessaria, utpote quod totum quantum est in sacri choragii institutione, defensione atque amplificatione consistit.

### PROPOSITIO IV.

*Religio illa supernaturalis ita debet esse comparata: ut ex se & principiorum suorum natura ad salutem collinet.*

### EXPLICATIO.

Duo sunt *Mediorum* genera, alia ex se & suo ingenio ad scopum aliquem feruntur, alia vero præter suam naturam arte quâdam eò intorquentur. Illa plana sunt, nativa, genuina, recta; hæc violenta, artificiosa, fucata, obliqua: illa proinde faciliora ac firmiora, hæc difficiliora ac lubrica, & quæ, si maximè ad institutum nostrum in-  
flectantur, ex improvviso sæpe nos destituunt & ad naturam suam  
subitò

subitò recurrunt. Quandoquidem autem, ut in scholis loquuntur, <sup>Hypoth.</sup> Mediorum bonitas in relatione & sufficientia ad finem unice con- <sup>Ontosoph.</sup> sistit, utpote à quo illa & amabilitatem omnem & ordinem & mensuram accipiunt, necessario colligitur, ea perfectissima esse atque optima, quæ ab ipsa natura internisque principiis ad finem aliquem obtinendum sunt destinata.

D E M O N S T R A T I O.

Cùm ex Prop. 3. religio supernaturalis sit medium ad salutem necessarium, ex hypoth. autem Ontosoph. hujus Prop. illa mediorum sint optima, quæ suapte natura ad finem aliquem feruntur, consequitur necessario talem religionem supernaturalem statuendam esse, quæ ex se & principiorum suorum genio ad salutem tendat. Id quod erat demonstrandum.

P R O P O S I T I O V.

*Ubi igitur per Antecessorum sive inscientiam & imprudentiam, sive malitiam, sive contraria nobis studia, jam aliqua supernaturalis religio invaluit, quæ ad nostram salutem non conducit, deleri eam oportet.*

E X P L I C A T I O E T D E M O N S T R A T I O.

Cùm vel Ramistarum tyrunculi nòrint media non esse nisi propter finem, adeoque & hoc sublato illa tolli, ampliori explicatione aut demonstratione non est opus.

Cerrè hæc non ignoravit, quantumvis rudis cætera atque indoctus ille Camelarius *Muhammed*, qui ex Chadigæ amoribus imperium quæsiturus curculionis sui pretium, cùm & veterem æmulorum suorum, tribulium Koreischitarum idololatriam, & Sabæorum religionem, & superstitionem Judæorum, & Christianorum fidem ab instituto suo dissidere animadverteret, omnia illa abolevit, aliumque substituit, cultum ex superioribus commixtum ac novis adaudum dogmatibus. Neque alio fine abdicatâ illâ Muhammedis doctrinâ Persæ recentius prophetantem *Alim* hodiernum sequuntur,

nisi quòd communem inimicis imperiis cultum periculosum fore credant, consultiusque existiment inter Ipsos *intergerinum* ex interpolata saltem religione *parietem* statui.

Sed quid opus Infidelium recensere exempla, cum Deum Ipsum Autorem in hac causa laudare possimus? Is enim, cum suam in Israele Theocratiam per Mosen esset erecturus, non Idololatriam solùm & rectæ Rationi dissentaneas opiniones ritusque delevit, verùm etiam ipsorum Noachidarum, admirandâ *Seldeni* industria nobis nuper restitutam, religionem novis præceptionibus ceremoniisque cumulavit, eumque præscripsit cultum, cujus singula capita, licet ad mysticos fines referentur; *Rationi* tamen *Status* quàm maxime inservirent. Sed quam ipsam religionem utut, Divinâ autoritate stabilitam multisque miraculis atque prodigiis formidabilem Jerobeamus postea non parùm immutavit, quando ex decem à Juda avulsis tribubus novum imperium constiturus sedem quoque religionis novam constituit.

Verùm de his, ubi *superiorum indulgentia* optatum mihi meaque genio conveniens otium nancisci potero, animus est aliquando fusiùs differere, desumpto tractationis argumento ex *Maimonidis More Hannev. part. III. cap. XXVI. & Diss. Regis Cosarëorum part. IV. §. 13.* quem utrumquæ librum, si animus fortè horret *Reuchlinisti* ab Academia vestra jam olim damnato caractere exaratum perlegere, in Cœnobii nostri Bibliotheca habemus, linguâ (*al vostro servizio*) Latinâ expressum à Celeberrimo inter Judaizantes Calvinistas interprete *Buxtorfio* Filio, nuper quidem denato, sed cujus & propriam & paternam gloriã in Nepote ubertim revirescere narrant semi hæretici *Flavignii* nostri discipuli, adeò ut si quis forte an inter legendũ occurrat scrupulus, superstitem sciatis qui omnem possit eximere.

PROPOSITIO VI.

*Illam igitur religio supernaturalis, quæ ad salutem non conducit quàm ocysimè uno impetu & aperta vi destruat, modò id tutò & commodè fieri possit: sit,*  
*carptim*

*carptim ac sensim lentisque artibus immutetur, servatâ semper eâdem externa specie, donec ad salutem comparandam sit perfectè qualificata.*

EXPLICATIO.

Duplici Potissimùm ratione aboleri aliquid potest, vel manifesto scil. atq; violento molimine, vel occultis insidiis tacitisque progressibus. Prior ille modus comòdissimè adhibetur, quando ea, quæ deleta cupimus, paucis iisq; solidis & in omnium oculos incurrentibus partibus consistunt, ita ut nec varios admittant gradus, nec diversis sese habeant modis, adeoque particulatim dissolvi & occultè labefactari vix possint. Isthæc consultum est uno ictu dirui atque simul tota subverti. Si enim eorum ruinam lentâ operâ ac leviori brachio moliaris, frustrâ eris, nec quicquam efficies, nisi quòd intempestivè consilium Tuum prodes, Aliosque excitabis, ut primo statim limine Te tanquam Corruptorem & Novatorem inclament, & omnia curiosiùs observent, & ad validiùs Tibi resistendum instrumenta congerant. Verùm ibi ante omnia accuratè Tibi erit perpendendum, an iis sis instructus auxiliis Diisq; præsidiis munitus, quæ rebus uno impetu evertendis & adversis omnibus opprimendis atq; frangendis sufficiant. Quod si enim tantæ vires Tibi non suppetant, alteram tentabis viam, quâ laneis pedibus suspensoq; gradu ac velut per cuniculos ad institutum pervenias. Atq; hæc posterior via maximè ineunda est, tam quando ea, quæ abolitum imus, ex plurimis partib<sup>9</sup> constant, iisq; & variis & minus conspicuis & quæ & augeri & minui & intendi & remitti, & multis modis comisceri, adeoq; variè se habere possunt, ita ut licèt reverâ imutentur, in eodem tamen statu permanisse vel saltem ab eo non multum recessisse vulgo videantur. Nam si cunctas illas partes simul comovere, iisq; omnib<sup>9</sup> unâ operâ novas substituere velis, fieri non potest, quin turbas concites quàm maximas, sumamq; inducas confusionem, ex quâ vel nunquam electeris, vel cum ignominia pedem cogaris referre, vel deniq; pestilentissimam Tibi confles invidiam. Estque hoc imprimis observandum, quando ea, quæ evellere conaris, jam altas egerunt radices. Et

*Et jam per longas invaluere moras.*

Ut enim semper aliàs, ita hîc maximè mutationes vehementes atq; subitanæ sunt periculosæ; unde & in *Propositione* nostra diximus, religionem supernaturalem, quæ jam inolevit, sed ad nostras usus est inepta, uno impetu debere quassari, *MODO ID TUTO ET COMMODO FIERI POSSIT*; sin' alteram insiste viam tutiorem longè & non rebus solùm, sed & Hominum ingenio magis accommodatam. Ita enim à Natura comparati sumus, ut blandè induci & circumveniri malimus, quàm apertè cogi, & lenitatem quamvis insidiosam atque fallacem lubentiùs admittamus quàm vim manifestam; Quin etiam ubi nobis imprudentibus negotium ad finem est perductum, licèt postea nos deceptos deprehendamus, solemus tamen ut plurimùm præsentì rerum statu conquiescere potiùs, quàm pristina magna cum difficultate dubioque eventu, revocare.

Continet autem posterior isthæc methodus duas præceptiones, quarum altera, *ut sensim atque occultè res immutentur*, altera, *ut earum eadem retineatur externa species*. Quæ duo si rectè observentur, incredibiles producunt fructus; & qui ipsam, si *D. Aquinatem* audias, summi Numinis Omnipotentiam excedere videntur. Iis enim efficitur, *ut partibus singulis, tandemque omnibus sublatis, totum nihilominus integrum permaneat*, quo contradictionem tamen implicari *Thomistæ* atque *Occamistæ* ad unum omnes docent, uti à meo beatæ memoriæ Præceptore DN. de *Raconis in Coll. Navarreo* me olim audite memini. Verùm nos *Scotistas* sequimur, tum & eos, à quibus potiùs, quam à Theologis Catholicæ religionis defensionem in posterum sperandam esse docuistis, JURISCONSULTOS. Ita enim *Alfenus l. 67. ff. de judiciis*. Proponebatur, ex his *Judicibus* qui in eandem rem dati essent nonnullos causa audita excusatos esse, inque eorum locum alios esse sumtos, & querebatur singulorum *Judicum* mutatio eandem rem an aliud *judicium* fecisset. Resp. non modo si unus aut alter, sed & omnes *judices* mutati essent tamen & rem eandem & *judicium* idem quod antea fuisset, permanere; Neque in hoc solùm evenire, ut partibus

commu-

In exam.  
princip.

commutatis eadem res esse existimetur, sed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alii subjecti essent, & Populum eundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuissent, cum ex illis nemo nunc viveret; itemque navem si adeò saepe refecta esset, ut nulla tabula eadem permaneret, qua non nova fuisset, nihilominus eandem navem esse existimari. Quod si quis putaret partibus commutatis aliam rem fieri, fore ut ejus ratione nos ipsi non iidem essemus, qui abhinc anno fuissimus, propterea quòd, ut Philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis consisteremus, hæc quotidie ex nostro corpore decederent, aliaque extrinsecus in earum locum accederent. Ubi Glossatores monent, hoc obtinere in iis qua successive, & per partes, non verò simul tota mutantur.

Atque idem novi Metaphysicorum Doctores, ipsique etiam Hæretici tradunt, quorum omnium instar nobis erit Claubergius Vir duplici quidem hæresi, & Cartesianismo nempe & Calvinismo infectus, eoque duplici nomine, modò Teutoburgensium sepulcreta in nostra potestate essent, comburendus, sed Amplissimo tamen nostro Clero & Amicissimo Rovreo ob singulare ingenii acumen & orationis perspicuitatem multum laudatus.

„ Ille igitur Ontosoph. §. 294. Tota, inquit, hæc disputatio de eodem ac diverso potius ad modum cogitandi & loquendi pertinet, quàm ad res ipsas in se spectatas. Unde sapientum & vulgi non eadem hac de re sententia & oratio, imò nec eadem sapientum inter se: quemadmodum cum ex aliis constat exemplis, tum ex illa Philosophorum disputatione de nave Thesei, quæ legitur apud Plutarch. in Theseo.

§. 295.

„ Si non simul & semel, at paulatim & sensim sit mutatio facta, atque ita vix animadverta, res plerumque dicitur eadem. Sic ignis, qui (ut bene Aristot. lib. de juvent. cap. 5) fluminis instar perpetuò gignitur & fluit, quanquam id præ celeritate nos lateat, idem totâ nocte putatur, si continuo foveatur alimento. A si extin-

R r

guatur

„ guatur ignis semel totus ac postea denuò excitetur, alius esse per-  
 „ hibetur. Si navis alicujus partes omnes eodem tempore destru-  
 „ antur, alia numero esse dicitur, quæ ejus loco è novis linguis ex-  
 „ struitur. At si per partes reficiatur navis & plurimum demum an-  
 „ norum decursu tota mutetur, non pauci homines eandem esse  
 „ judicabunt, exemplo navis Thesei, in qua postremò veteris ne una  
 „ quidem tabula supererat. Hæc identitatis ratio tota ab incuria  
 „ & inconsiderantia nostra pendet, utpote qui mutationem sensim  
 „ & paulatim factam, etiamsi non minor sit eâ, quæ simul & semel  
 „ contingit, pro nulla ferè habemus.

§. 296.

„ Licet omnia accidentia externa, quæ incurrunt in sensus, mu-  
 „ tentur, dummodo maneat invariatum aliquod fundamentum, sæ-  
 „ pe res eadem esse censetur. Exemplum habemus in cera lique-  
 „ facta & fervida respectu consistentis & frigida, in qua sensibilia  
 „ cuncta variantur. Sed manet extensum & mutabile subjectum,  
 „ certis proprietatibus ceræ essentialibus præditum.

§. 297.

„ Si manserint partes principales, licet minùs principales per-  
 „ eant, totum judicatur idem. Ex. gr. si eadem vocetur domus,  
 „ cujus fundamentum & muri conservantur, quamvis reliqua  
 „ omnia destruantur.

§. 298.

„ Si vel tota mutetur materia, dummodo forma quædam eadem  
 „ conservetur, totum haud raro dicitur idem permanere. Ex. gr. ea-  
 „ dem civitas vel Academia nunc putatur quæ ante centum annos,  
 „ quamvis alii nunc existant omnes cives, quàm tunc fuere. Quid  
 „ autem nomine FORMÆ in talibus intelligendum sit, generali  
 „ conclusione vix definiri queat. Nam si civitatem eandem dicas,  
 „ quia eadem jura & privilegia & ordinem & locum retinet; non  
 „ tamen is vel omnibus vel plerisque mutatis diversa illico putabi-  
 „ tur. Academiae manent eadem licet alio transferantur, ut fit  
 „ tem-



„ tempore pestis aut belli. Civitas potest ex urbe egredi.

¶ 299.

„ Omnis igitur identitas, quæ rebus tribuitur, requirit aliquod  
 „ fundamentum, quod vel revera vel apparenter maneat immuta-  
 „ tum. Unde & ipsa vel vere vel apparenter talis, vel secundum  
 „ esse vel secundum dici tantum.

Miraremini procul debio, *Viri Reverendissimi*, quod *Metaphysicis* istis observationibus tamdiu immoramur, nisi Vos ipsi exploratum haberetis, hinc totum sacrosanctæ Monarchiæ mysteriosum latere fundamentum, atque his incunabulis ab incunte Ecclesiæ ætate cœptum fuisse magnum monstrum ali. Quare omninò operæ præmium existimo, ut hisce meditandis animum quam diligentissimè advertamus, certò persuasi, quò penitus ista intellexerimus, eò feliciter atque expeditius in reliquis omnibus nos esse versaturos. Neque in religione *rectificanda* quicquam obveniet difficultatis, modo ex istis principiis artem simulacra condendi & larvas conficiendi vel mediocriter addidicerimus. Cui rei magnam afferre potest facilitatem, quod artem colores obducendi & fucos faciendi jam dudum utilissimâ industriâ ac summo humani generis commodo in certum præceptionum, systema concinnatam habemus, ad cuius quoque usum minori labore nobis comparandum exempla in omni humanarum actionum genere occurrunt quam plurima, quæ imitari possimus, quando & ipsa rerum Natura & Hominum ingenia varias nobis suggerent opportunitates.

### DEMONSTRATIO.

Cum ex Prop. V. ea religio, quæ ad salutem obtinendam non est idonea, aboleri debeat; ex iis autem quæ modo explicata sunt, aboleri non possit nisi vel *vi* vel *arte*, necessum est alterutrum modum pro temporum & locorum aliarumque rerum conditione, adhiberi, id quod erat demonstrandum.

Verùm plura aliàs. Jam enim tabellarius urget. Ita Valete in Domino. *Paris. è Conv. maj. Cal. Ianuar. A. à beatæ Virginis puerperio*  
 CLXVII. Rr 2 JANI

JANI ALEXANDRI  
FERRARII

Cœnobia Augustiniani.

De

Catholicæ fidei utilitate atque

Necessitate.

EPISTOLA QUINTA,

Ad

Reverendissimos Viros

ADRIANUM ET PETRUM

de WALLENBURCH

VIRI REVERENDISSIMI,

**T**Ristem BREVINGII Scholastici vicem ex animo doleo.  
Curavi Jam hodie pro salute Ejus ad D. Mathurini Scho-  
lasticorum omnium Patroni pulvinaria ritè adorari, & sacra  
celebrari quàm solemnissima. Audiveram quidem ante-  
hac sæpius ipsum *λειποθυμία* laborare, nesciebam tamen eò deventum,  
ut Bona Mens Eum perpetuò deficeret. *Guidonem* nostrum con-  
sului, Medicum ut nòstis, experientissimum, & qui Vos verbis suis  
quàm officiosissimè salutari jussit. Ægroti nomen subticui, morbum  
tantùm expolui ejusque symptomata. Jubat Ille *mediam pertundi ve-*  
*nans*, tum eam adhiberi medicandi methodum, quam *Stentorea*  
la-

laborantibus præscripsit *Fabritius Bartoletus*. Adivi & alium Medicum, qui morbum istum in simplici ingenii marasmo consistere putat, veretur tamen ne in *totalem* adeoque incurabilem cerebri cachexiam quàm proximè devertat. Ego meliora sperarem, modo vel semel Ipsi daretur ad se redire. Præsens fortè esset medicamentum illud, quod vulgus nostrum *Anti. moine*, Latino-Galli *Anti-Monachium* vocant, & quod ab Hæreticis quibusdam accuratissimè preparatum esse intelligo. Neque enim credo, religio Ipsi erit, ab Hæreticis salutem petere, quam vel à Judæis Christiani receperunt. Verùm hîc sisto, neque Amicissimi Hominis fato jam Vos abundè afflictos in suavioribus literis diutius detinebo. Dialogum mitto, quem heri ex Italia accepi, de quo quid sentiatis, quam primum mihi significetis, rogo. Paris. ex Conventu majori Cal. Majis cl. loc Lxvii.

Meth. in  
Dyspnœam  
sive de di-  
spirat.

## DIALOGUS

Inter

*Sonam & Rophæum.*

**P**ericuloso Te morbo laborare audivi, Bellissima Sona; unde huc accessi, ut pro ea animi devotione, quâ & Parentem & Sponsum Tuum colo, mea Tibi officia Medicamque opem offerrem.

Roph.

De Tua quidem in me benevolentia gratias Tibi debeo, Experientissime Rophæe, sed ut ista de causa ad me venires, nihil erat opus. Iniquam adversus me famam spargunt Homines Invidii ac Malevoli, eosque inter se sceleratissimi *Transfugæ Rethulus & Vsinulca*, quos ego mecastor si haberem, de pexos darem, ut

Ne quæso irascaris, Dulcissima Domina.

Et quis æquo etiam animo ista possit perferre? At nunquid Ipse, mi Rophæe, & ex facie mea & ex totius corporis habitudine cognoscis, me quàm pulcherrime valere?

Liceat, quæso, tua cum venia liberè & apertè dicere quæ sentio.

Rr 3 Pucl.

Puellula cùm effes, minùs quam nunc videbaris formosa. Nam & facies tibi nigrigabat quasi solibus perusta, & ex crebra corpufculum Tuum macilentius erat & aridius, nec dum comulos istos habebas cinnulos, neque gestibus inerat lascivior illa agilitas, neque externum accesserat decus, non purpura, non palla auro intexta, non geminis fulgida, sordidam videre Te memini & pannosam, longè infra dignitatem Natalium Tuorum dignitatisque Hymenæi. Jam verò Te habitiozem ac superbiorem video. Vultus Tui blandiores illecebræ, & frons generosior, & elata incelsus majestas, & nitidior corporis cultus, & vestium splendor, & supellectilis apparatus, & ebore istuc atque auro renidens lacunar oculos omnium adventantium mentemque ità perstringunt, ut Divæ instar hic sedere videaris. Verùm ista omnia integram valetudinem haudquaquam promittunt. Non nescio proprium esse foeminarum laudari velle meque Tibi visum iri inurbanum admodum & invenustum, qui vitia Tua in os Tibi ingeram. Verùm & Medici & Amici officium me, spero, reddet excusatum. Quando igitur Te propiùs contueor, fucata omnia (ingenuè dicam) & ascititia comperio, nec nativum pulcritudinis florem neque vegetum corporis deprehendo robur. Oculi ipsi nescio quid veneni spirant & tabe quâdam infectos emittunt radios, istaque emplastra, quibus faciem hinc indè distinxisti, non tam nitorem ejus commendare videntur, quam maculas tegere & morbi occultare indicia neque est quin videat purpureum istum immixtum candido colorem cerulle potius & minio quàm efflorescenti sanguine deberi. Signa porrò adsunt manifestissima, ex quibus foedâ Te lue infectam suspicor. Cedò igitur, ex quo tempore Te morbus incefferit.

Sona. Quasi horam notaverim.

Roph. Necessè est utique tempus designes ex quo cœpisti laborare, ut intelligam recens an inveteratum sit malum.

Sona. Cedo igitur & Tu, Bone Senex, quâ horâ cœperis adeò morosus esse & importunus. Ecquo momento cœpisti linefcere?

Roph. Eo ipso quo nascebar.

Qui

Qui fieri potuit, ut adolesceres simul ac senesceres, cum duo isthæc sibi sint adversa? Sona.

Mitte arguari. Jam aliud agendum instat. Sed quid rides? Roph.

In mentem venit disputatio *Septimi* Amasii mei. Ille licet decrepitum sit silicernium, contendebat tamen heri se Juvenem esse. Agebat, eum à nemine designari possit hora vel locus quo senescere & viribus deficere cœperit, utique neminem dicere posse, quod consenuerit, atque indè colligebat se ab Omnibus debere haberi Juvenem, & succulentum quidem integrique roboris. Atque istâ ratiocinatione adeò se reficiebat, ut collectis omnibus phantasiæ viribus fervidiùs mihi instaret, meque arctiùs complecteretur, quàm Venerem suam *Mavors*, cum *Mulciber* utrumque reti suo involveret, sed mox nervum sibi desse sensit miser. Sona.

Argutè. Eâdem scilicet ratione evinces Te Virginem esse & in- Roph.  
tegræ quidem sanitatis, cum horam nescias quâ Te lues isthæc primùm inceserit, nec fortè memineris, quo coitu prima susceperis contagii semina.

Fateor me ista in Calendario non scripsisse, neque ætatis ejus recordari, quâ Virgo fuerim aut esse desierim. Nam & *infans cum paribus inquinabar, & subinde prodeuntibus annis, majoribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perveni. Vitulum puella solebam tollere, quò facilius adulta taurum sustinere possem.* Sona.

Et tamen vel sanctissimis Vestalibus videbaris sanctior.

Vultum sanè ad modestiam & pudorem ita didiceram componere, ut vel astutissimos Censores fefellerim. Non secus atque *Aretini Nanna, quæ virginitatem suam sæpius vendidit, che non vende un di questi pret acci la messa novella, attaccando pro ogri cit à polite a le chiese del suo cantarla.* Roph.  
Sona.  
Ragion.  
part. 1.  
giorn. 3.

Verùm ediffere, quo modo in istam vivendi rationem incideris, cum & nata fueris Patre sanctissimo, & destinata Sponso Nobilissimo, & educata singulari curâ atque sollicitudine. Roph.

Nostris, Amicissime Rophæe, Natales meos, & quo pacto sponso meo Sona.

meo

meo primis annis à Patre fuerim tradita, ut ad ipsius ingenium lubi-  
tumque educarer. Nôsti quo animo ille ad Patrem abierit, non prius  
quàm ad perfectam ætatem pervenissem ad me rediturus, meque  
deducturus domum. Antequam descenderet, mihi singulisque meis  
sororibus Pædagogos præfecit, quorum curâ & vitæ exemplo ad  
Pietatem & Castitatem excitaremur & diversis instrueremur lin-  
guis, unde factum, ut sororum mearum alia Græcè, alia Persicè,  
Arabicè alia, alia Æthiopicè loquatur. Noluit eodem nos  
loco cohabitare; sed distitis educi provinciis, sub unius  
tamen ferè Tutoris imperio, qui & Bona nostra omnia admini-  
straret & supremam in Pædagogos haberet potestatem. Vir ille  
erat ferocis ingenii, & qui me sororesque meas durissimè habuit, sive  
ex occulto Parentis nostri mandato, qui rigidiori disciplinâ pud-  
icitiam nostram custodiri & lasciviam coerceri voluit, sive ex nativa  
quadam sævitie & concepta erga nos malevolentia. Habitabat tunc  
temporis *Valentia*, ubi & ego educabar. Quare sorores meæ, quan-  
do negotii aliquid apud Tutorem nostrum peragendum habebant,  
pædagogi mei curâ atque operâ & meâ commendatione utebantur,  
unde multum Ipsi præ reliquis accessit autoritatis, atque ego quoque  
licèt natu minor, germanas tamen omnes temporis progressu facile  
anteceffi. Habebar equidem durissimè, adeò ut quamvis à multis  
tentarer, ipsaque ad libidinem spontè profusa essem, non nisi clan-  
culum tamen lascivite licuerit. Curabar scil. eodem modo, quo  
*Boccalinus* Noster docet ab Hispanis *mortificari* equum Neapolita-  
num *che molte volte in un tempo medesimo più tosto ha voluto esser caval-*  
*cato da due regi che da un solo.* Sub severiori ista disciplina jam ter-  
tium exegeram ætatis lustrum, quando de mortuo primo Tutori  
successit alius, *Magnus* scil. ille, quem nôsti, *Quadratus*, Vir mihi  
sororibusque meis indulgentissimus, qui que nobis ac Pædagogis  
nostris ea concessit quæ Pater & Sponsus concessa noluerint, ut ab  
eo tempore rescivi. Pædagogi verò mei artibus ita delinitus fuit,  
ut *Valentia* relictâ & domicilio *Zantibium* translato, ipsum suomet  
meque

meque ipsius arbitrio ferè commiserit. Ibi cùm Tutoris metu minùs  
 contineremur, suavis longè & familiarìus vivere cepimus, meusque  
 Pædagogus divitiis, quas administrabat, in dies accumulatis, & cre-  
 scente autoritate atque potentiâ elatus, ausus est de nuptiis me pu-  
 blicè sollicitare meque ultimâ amare lineâ. Jactabat sponso absente  
 me Ipsi propriam esse, eamque in rem Parentis mei laudabat testa-  
 mentum, quod parcè mihi lectum Ipse in suum usum explicabat. Sæ-  
 piùs ad me conversus, si quis, aiebat, Sponsi Tui erga Te amor esset, si  
 conjugii inter vos initum fœdus maneret ratum, non Ille peregrè ad  
 Patrem ivisit, neque per tot annos annos hîc Te destituisset solam,  
 neque tam lævo Te priùs commisisset Tutori, neque tam acerbâ Te  
 jussisset premi servitute, neque tam duras fixisset leges, quarum ob-  
 servantiam ne à vilissimo exegerit mancipio. Dein quàm gravis ille  
 & incommodus, quàm prodigiosus & ridiculus est habitus quo Te,  
 ad ludibrium credo, indui voluit? *Cinctorium Veritatis, Thoracem justitiae, calceos preparationis Evangelicæ pacis, scutum fidei, galeam salutis &*  
*gladium spiritus vult esse nuptialem Tuum amictum.* Quis alius post  
 hominum memoriam Sponsus Amasiæ suæ talem destinavit orna-  
 tum? Quin *byssus* Tibi convenit, & *purpura* & *coccus*, & *aurum* & *pre-*  
*tiosi lapides* & *margarite*. Hæc Tuæ sortis puellam decent.

Eph. 5.

Apoc. xvii.

Idem sanè Tibi accidit, quod nuper *Scarronius* amicus noster ex  
 Gallis ad me scripsit obtigisse *Laure* cuidam nobili fœminæ Hispanæ.

Roph.

Les precau-  
 tionis inu-

Recita historiam.

Est inter regni Proceres DON PEDRO, Vir & ingenio &  
 rerum usu perspicacissimus, muliebrium imprimis artium & quàm  
 lubrica Ipsarum sit & fides & castitas perquam gnarus. Is Lauram  
 formosissimam puellam extra Virorum consortium Monasterio in-  
 clusam & rigidissimis legibus constrictam curavit educari, donec ad  
 decimum sextum ætatis annum pervenisset, quo eam sibi despondit  
 domumque duxit. Illa non minus *Semplicetta* quàm *Albaspina* nostra  
 apud *Marinum*, quid *luxuries* esset, prorsus nesciebat. Edicit ipsi *Don Pe-*  
*dro*, conjugalem honestatem in eo consistere, ut tota cataphracta, ga-

Sona.

Roph.

1. Cor. 7. 3.

leata, gladiata, hastata decumbenti Marito integras noctes adesset, ac suaviter dormienti advigilaret. Præstat illa obsequium, cujuscunque alius *εὐνοίας* aut voluptatis ignara, dum paucis post diebus *Don Pedro* in aulam avocatur. Relictam domi solam interim invisit Vir nobilis vicinus, intelligit Mariti institutum, ridet & diversam longè jucundio remque conjugii rationem docet. Redit *Don Pedro*, & toto se commissurus novam Uxoriscientiam miratur, quæ galeâ & thorace neglectis, se alium planè & faciliorem suavioremque Marito utendi modum edoctam esse gloriatur.

Sona.

1. Petr. 3.

Appositè. Nam & primus infantia meæ Informator *Petri* habebat nomen, & consimilia dictabat, difficilia & ingrata, nimirum *ornatum meum non debere esse exteriorem in capilli cincinnus & auri circumpositu aut palliorum amictu situm*, meque *beatam* deprædicabat, quando propter justitiam multa paterer incommoda, & suppliciorum sponsi mei devenire consors. Verùm ista ceu inepta & absurda derisit recentior Prædagogus meus meque docuit, *aliam jam atatem esse, alios proinde postulari mores*: me neque *pristinis* etiamnum *elementis* subjectam, neque *infantem esse que à serva nihil differat, sed emancipatam & à veteri liberatam jugo*. Unde etiam cavet, ne eorum, qui ipsum præcesserant, Præceptorum, *Piedri & Paoli* epistolas ac monita ultimave sponsi mei mandata crebriùs aut attentius perlegerem. Imò hujus memoriam, quantum poterat, ibat deletum, ut ne quidem in solemnibus Cœnis vinum in ejus recordationem, gustare mihi licuerit.

Roph.

2. Cor. XI.

Scilicet hoc erat, *Vni Te Viro respondere Teque castam ad ipsum adducere Virginem*. An verò nunquam subiit Eum de perfidia, quam in Dominum suum committat, submonere?

Sona.

Sæpiusculè quidem. Verùm ille solebat respondere, nihil à se mali patrari posse: duo cùm idem faciunt, idem non esse; aliam esse rationem Hominum *Mundanorum* sive *secularium*, *che non hanno autorità di maneggiar le cose sacre*.

Roph.

Memini, idem responsum nuper sorori. *Marina* datum à *P. Francesco* nel parlatorio delle *Monache fenestra* 2. Sed quid ad hæc sorores

Tuz



Tuæ earumque Pœdagogî : Nunquid istam tecum familiaritatem præceptamque inde voluptatem Ipsi invidebant?

Imò maximè. Cum primis *Zybaninus*, qui stabilito apud se Tutor-  
 ris domicilio magnam quoque sibi auctoritatem conciliâret. Sed va-  
 riis artibus, quas nimis longum foret enarrare, prævaluimus tan-  
 dem, idque imprimis beneficio multarum litium & gravissimorum  
 malorum, quibus adeò impliciti, vexati & turbati fuerunt Tu-  
 tores nostri ( primo enim de mortuo plures habuimus ) ut  
 Iplis neque otium neque animus esset nostra negotia curandi neque  
 etiam vires continendi nos in officio. Imò eousque deventum, ut Pœ-  
 dagogus meus, obtentu mandati à Patre missi, in ipsos Tutores sum-  
 mum quæsi verit imperium, neque minus sibi potestatis asseruerit  
 quàm ipse Pater aut à Patre mihi datus sponsus.

An nullæ verò inde obortæ sunt quærelæ?

Rophi

Multæ quidem. Quin & sæpius Pater Legatos misit, qui Ama-  
 ssonar.  
 ssi mei insolentiam reprimerent atque castigarent. Verùm Hic eos  
 vel muneribus suis corrupit, vel sic corrumpere non potuit, reos per-  
 egit quasi Impostores ac Perduelles, eâque Juris specie diris suppli-  
 ciis cruciatus à medio sustulit.

Sed an ista latere diu possint.

Rophi.

Nequaquam sanè Jam dudum enim nuncium accepi de Spon-  
 ssonar.  
 si adventu, qui omnia sit cogniturus & judicia exerciturus quàm seve-  
 rissima. *Paulum Secretarium* Ejus incognito jam advenisse, & in mores  
 meos & Pœdagogî vitam curiosissimè inquisivisse ex *Palla vicini* no-  
 stri relatione cognovi.

Quin Medicos igitur advocas in tempore.

Sanè jam multi adfuerint, & sponte quidem suâ. Frustrâ omnes,  
 cum & Ipsi omnes de medendi ratione inter se dissideant. *Vsinulca* &  
*Rethulus* curam per *hydrargyrum* suscipi, & *emetica* ac *sudorifera* adhi-  
 beri præceperunt, quibus quicquid à multo tempore recepissem evo-  
 merem atque exudarem. *Sarmeus* & *Crendesta* methodum istam pe-  
 riculosam nimis & violentam esse arbitrati, mitiorem viam ineun-  
 dam esse dixerunt, sed quam ipsi nescierunt definire. Alii alia præ-

scribunt, & quot capita tot sensus. Sunt qui putant, quodvis validum remedium cum præfenti mortis periculo fore conjunctum, adeoq; consultius esse nihil movere. Collegium verò Medicorum, quod nuper Pædagogus meus in urbe *Mentirdut* conscripsit, præter omnium opinionem uno ore me pronunciavit puram & integerrimæ valetudinis, eosque omnes decrevit *Injuriarum actione* teneri, quicumque ausint dicere meretriciâ me luce corruptam esse. Quod quamvis ab omnibus credi velim. Tibi nihilominus fateor me ipsam non credere. Existimo tamen venenum in inveteratis *fistulis atque ulceribus meis siccâ quâdam duritie ita esse constrictum atque sopitum*, ut licet quis *mecum consuescat, non inde metuendum sit lethale contagium.*

Fallop.

Roph.

Id quidem ais, ne amafios absterreas. Verùm quid sponfus, ubi ista omnia resciverit?

Sona.  
L'anima  
del Ferrante  
Pallavino.

Rescivit jam omnia & jam dudum de *Divortio* cogitavit, actionem apud Patrem instituit. Quæ in ea causa peracta sint, libello hoc comprehensa jam ante aliquot dies Pallavicinus mecum communicavit, etsi quæ alia agitentur me in sciâ, per animam suam se mihi maturè significaturum promisit.

Roph.

*Paucula cum pace Tualegam. INSCRIPTIO. L'eterno verbore-  
sponde al Padre & significa in universale le cagioni de suoi disgusti con la sua  
sposa, è fa istanza di Divortio con tali concetti. II.*

Sona.

Quin libellum Tecum aufer ac domi perlege, ea tamen conditione ut restituas, neque cuiquam aliî.

Roph.

Intelligo. Sic igitur, quantum potes, vale, dum rediero.

JANI

JANI ALEXANDRI  
FERRARII

Coenobitæ Augustiniani.

EPISTOLA SEXTA,

Ad

Reverendissimos Fratres

ADRIANUM ET PETRUM  
de WALLENBURCH.

VIRI REVERENDISSIMI;

**E**st sanò quod dixistis. Dialogus ex Italia nuper missus, & quem ultimis meis literis vobiscum communicavi, Ecclesiæ Romanæ imaginem continet. Quis *Vsinulca* sit, vel Pueris ex *Argenide* notum; quis *Rethulus*, *Sarmenus*, *Ressandæ* literarum transpositio docet. *Valentia*, *Roma* est: *Mentirdur*, *Tridentum*. Pædagogi Episcopos, Tutores Cæsarem & Reges notant. Ita omnia plana. Quod verò nonnullis minùs videtur conveniens, quòd ex *Patronio*, *Aretino*, *Mileto*, quàm ex sacris scriptoribus aut gravioribus Historicis dicendi rationem depromserint Collocutores, id *Siderius* Noster nihil pensi habet. Ait enim, quemadmodum sanctarum Mentium familiarior cum Deo consuetudo à sapientissimo Hæbræorum amatorio stylo expressa esse creditur, ita *animorum* à *Prima Veritate* ac *summo Bono alienationem* obscœnæ dictionis schemate ceu adulterium repræsentari. Atque cum in finem ex Codice, quem Omnes sacrum habemus, tum *Ezechielis* orationem cap. XVI, & XXIII. tum ipsum *Hosæ* factum laudat. Utut

Ss 3

au-

autem illud se habeat, omninò Vobis assentior. Dialogi Auctorem Hæreticum esse, Romanæ nostræ Ecclesiæ hostem infensissimum. Quò diligentius credo esse laborandum, ut cœptæ nobis demonstrationes maturius pertexantur, fideique Catholicæ fundamenta ab Omnibus eò conspiciantur apertius. Prioribus igitur jam accedit.

### PROPOSITIO VIII.

*Religio, quam Christianam vocant, prout à Christi Apostolis primum tradita fuit, ex se & principiorum suorum natura ad salutem est ineptissima, unde constat primos illos Evangelii Pracones ab ipso Catholica Doctrinae fundamento totiusque fidei scopo enormiter aberrasse.*

### EXPLICATIO.

Annus jam agitur supra millesimum sexcentissimum sexagesimus septimus (si incerto Romani cujusdam Abbatis calculo credamus) ex quo in Judæa de regia sed pauperrima stirpe prognatus fuit Jesus quidam, cognomento Christus. Is & vitæ suæ sanctitate, & miraculis, quibus claruit, & aliis illustribus documentis se non Hominem solùm sed Ipsum Deum esse monstravit, unde & Deorum Altissimo se dixit *equalem*, neque *rapinam estimavit supremi instar Numinis se gerere*. Florebant in orbe Romano eâ tempestate duo potissimum religionis genera quarum alteram colebant *Judei*; alteram, quos vocant, *Gentiles*. Illa à Rerum Conditoris præscripta multisque prodigiis confirmata non nisi unum agnoscebat Deum, de cœtero ingenti ceremoniarum mole laborabat, neque tam rationis ductu Populum movebat, quam Legislatoris continebat auctoritate: Hæc vero proprio hominum excogitata

tata

tata ingenio, prout varia sunt Variorum figmenta, diversissimas, imò & aduersas divini cultus rationes comprehendebat, quæ Omnes tamen in eo conspirabant, quòd multos Deos colendos esse præciperent, neque se invicem damnarent, unde & ipsa religio, licet varia & multiplex, non minus tamen unica & simplex esse censebatur. Et Judæorum igitur operosos ritus & Gentilium idololatriam delevit sapientissimus Jesus, omnemque religionem ad primæ rectæ rationis principia simplicemque ingenuitatem reduxit. Unum solum addidit ac re ipsa exhibuit mysterium, de singulari Numinis propitiatione atque placamento, quod per ipsum Numinis supplicium mortemque peragendum esset. Quæ doctrina ex secretissimis cœlorum adytis depromta, atque omnibus retrò seculis Mortalium generi inaudita, stupendam Dei tum Sapientiam, tum Beneficentiam, tum rigidam immotæ æternæque iustitiæ observantiam mirificè illustrabat; unde necessum erat in Hominum mentibus divinâ gratiâ imbutis, & Numinis admirationem & reverentiam & amorem & obsequium & gratitudinis cultum oboriri atque confirmari. Quibus rebus universa religionis tum scientia tum usus absolvitur. Crudeli autem fato defunctus, sed ex eodem iterum eluctatus, patriasque sedes repetiturus Christus salutarem, quam Judæis potissimùm exposuerat, doctrinam ulterius propagandam, & in omnes terrarum Gentes diffundendam eredit quibusdam cognatis suis & Popularibus, Viris simplicibus & ex plebis fœcc. Hi cum & obscuro loco essent nati, & inter fallamentarias sordes educati, & iniquiori sorte premerentur, animo dejecto & magnarum rerum incapace nihil nisi humile sapiebant. Magnifica tamen audiverant promissa à Magistro suo, quem divinum omnino Virum adeoque minimè vanum, minimeq; mendacem esse habebant persuasissimum. Unde cum viderent & ampliores fortunas aditum sibi non patere, utpote quem ipsi sua sibi *μικρολογίαι* atque animi abiectione intercluserant, seque licet amplissimam Dei nomine legationem obirent, passim tamen contumeliosè haberi, gravi-

vil-

visūmisque injuriis manere obnoxios, spes suas in aliud seculum refererebant, & quæ ipsis impræsens denegabantur, iis post fata olim se fruituros esse somniabant, non secus ac

Nuper Tarpeio, quæ sedit culmine cornix

*Est bene non potuit dicere, dixit, Erit.*

Atque isto errore, anticipatione veluti quâdam, imbuti, nihil rectè intelligebant eorum omnium, quæ sive Veterum oraculis prædicta accipiebant, sive à Magistro audiebant promissa. Nihil illi intempestiviùs importuniùsque commendabant quàm patientiam, tolerantiam, abstinentiam à voluptatibus, humilitatem animique moderationem, tum *crucis* quam vocant *susceptionem*, & *carnis crucifixionem*, & sui ipsius abnegationem, & mundi contemptum, & divitiarum neglectum, & verbo dicam, genii defraudationem humaneque ejurationem Naturæ. Imò docebant, gaudium ex miseria captandum, & calamitates in jactantiæ materiem converti debere. Inculcabant prætereà Regibus ac Principibus obsequia præstanda, neque obtentu religionis aut sacri Ordinis privilegio, Magistratibus obnitendum, & in constitutas à Numina Potestates dominandum esse. Ita illi animos frangebant, & ab Honorum, Divitiarum ac Potentiæ studio avocabant, præsentem Hominis felicitatem in solo Pietatis cultu atque Numinis amore constituentes. Hinc, quæ de Ecclesiæ Majestate ac splendore didicerant, ea omnia ad spirituales quandam præstantiam & internum animi decus referebant. Unde factum, ut ab omnibus iis qui in præsens sapiunt, contempti ac ludibrio habiti, quin & pœnis castigati & suppliciis coerciti fuerint, de quo ipso tanquam de singulari aliquo bono solebant gloriari.

Diceres, quod Judæis attribuit Paulus, *velamen cordi ipsorum impositum* fuisse, quando Moſen alioſve Veteres Prophetas legebant, usque ad eò non assequebantur temporalem prærogativam & externa privilegia Ecclesiæ, cujus debebant esse Architecti ac Proceres,

Equi-

Equidem sub ipsum Codicis tui initium disertè scripserat summus Hebræorum Vates, condidisse Deum duo luminaria magna, alterum quod diei, alterum quod nocti præesset. Quæ verba aperte ostendebant Ecclesie dominium longè majus splendidiusque futuram esse Imperatoriâ Majestate. Ita enim Innocentius III. ad Illustriss. Constantinopolitanum Imperatorem. Nosse debueras, inquit, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli, luminare majus ut præesset diei, & luminare minus, ut præesset nocti; utrumq; magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est, Universalis Ecclesie fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt, Pontificalis auctoritas & Regalis potestas. Sed illa quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est: quæ verò carnalibus, minor, ut quanta est inter solem & lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur. Subdit Pontifex, etsi non increpando ista ad Imperatorem scripserit, potuisse tamen rationabiliter ipsum increpare. Tantò magis igitur increpandi estis, ô Vos Apostoli, quantò in explicandis oraculis plus sapere debebatis, quàm mundanis aliquis Regulus aut Princeps Byzantinus. Nam quod Canonici Juris Glossator addit, cum terra sit septies major Lunâ, sol autem octies sit major terrâ, consequi quod Pontificalis dignitas quinquagies septies major sit dignitate regali, id, inquam, Vobis latuisse non miror, neq; adeò Vos incuso, cum profectò observatio ista ex novis ac planè singularibus principiis, nec nisi subtilissimæ Vobis ignoratæ Logisticæ auxilio, potuerit diduci.

Exhibet idem Moses accuratissimam in Melchisedeco Regalis Pontificatus imaginem, quæ Petri ac Pauli successorumque Majestatem præfigurabat. Hanc tamen neque Petrus intellexit nec Paulus. Nam & ille dignitatem, quàm soli ipsi vindicatam oportuit, omnibus Christianis communem esse dixit, & cum suum in universos Mortales imperium asserere indè debuisset, contrarium planè collegit, subiectos nimirum esse debere Clericos cuiusvis humanae ordinationi, sive Regi ut supereminenti, sive Præsidibus, ut qui ab eo mittantur. Hic verò suâ ad Hebræos epistola de Melchisedeci quidem sacerdotio operose multa, sed alienissima, disputavit, cum id unum exponere debuisset, se, successoresque suos Melchisedeci prototypon esse. Est enim sanè Pontifex,

T t

ut

c. 6. Sollicita. de Major. & obed.

1 Pet. 2. 9. 14.

Camp. de  
M. H. c. 5.

ut Patriarchatu Abraham, ita ordine Melchisedec, Ipsumque Deus constituit sacerdotem Regalem, & utroque gladio Tum Politico tum spirituali armavit. Secus enim si foret, Christus legislator esset diminutus, & non sicut Melchisedecus, qui Rex fuit & sacerdos simul.

In auctario  
epist. obsc.  
vir,

Atque eandem ignorantiam suam Paulus tum alibi passim, tum epistola ad Rom. capite IX. apertius prodit. Cum enim, teste Brevingio, Esavus & Iacobus Hæreticorum & Catholicorum typi fuerint, atque ille quidem Lutheranos & Calvinistas afflictam pauperemque vitam ducturos, Hic vero Catholicos omniopum & deliciarum genere abundaturos esse, exemplo suo portenderint; Paulus hic omnibus, quæ ad rem tamen unice faciebant, omissis, utriusque historiam explicavit de Hominum æterna sive pernicie sive salute, quæ post exutam demum mortalitatem obtingat. De quo errore eo difficilius potest excusari, quò facilius vel ex Gabrielis ad Mariam alloquio (quod procul dubio aliquoties diebus singulis recitabat) poterat didicisse, Pontificem nostrum regnaturum in domo Iacob in æternum, id est, & ipsum, & omnes Ipsi addictos Clericos opimè & splendidè in his terris esse victuros, ut iterum argutè divina vit ille, quem supra laudavimus,

*lymphatâ mente sacerdos,*

I. Cor. XV.  
Hebr. II.

Sed & eodem manifestissimo errore Psalmi octavi oraculum ad solum Christum detorquet Paulus, cum tamen disertè legatur, Deum omnia subjecisse pedibus Eius, id est, Petri & Pauli eorumque in sede Romana successorum. Nimirum ipsis Deus subjecit OVES id est, Christianos; BOVES id est, Iudeos & Hæreticos; pecora campi, id est, Brevingium & Paganos; pisces maris, id est, animas in purgatorio; volucres cæli, id est, animas Beatorum & Angelorum, ut vaticinabundus ista explicuit Spiritualissimus Antoninus.

Summa Th.  
Part. 3. tit.  
22. c. 5. §. 1.

Illud verò omnem admirationem superat, quod rudes illi Apostoli, ne ea quidam assecuti fuerint, quæ Esaias de Romani Pontificis & Catholicæ sub illo Ecclesiæ potentia atque Majestate adeò diligenter inculcavit, ut nisi quis cum illo nupero Archi Hæretico Coccejo omnia in spirituales sensum transfundere velit, fateri cogatur, ea explicari ali



aliter non posse, quam *Illustrissimus Claravallensium Comes* non ita dudum explicuit. Ex cuius interpretatione; *Ambulabunt Gentes*, inquit *Propheta* alloquens *Ecclesiã Romanã*, *ambulabunt in lumine Tuo*, & *Reges in splendore ortus Tui*. Tunc videbit & miraberis & letaberis, quando divitiæ maris & omnium Gentium substantiæ ad Te pervenerint. *Filii peregrinorum aedificabunt templa Tua*, & *Reges eorum Tibi ministrabunt*. *Portæ tuæ noctes diesque erunt aperta*, ut gentium omnium nationumque divitiæ Tibi offerantur, earumque adducantur *Reges*. Quodcunque enim *Regnum Tibi non servierit, peribit*. *Ethnicorum Imperatorum*, qui te oppresserant, *successores vestigia pedum*, Tuorum adorabunt. *Ponam Te in superbiam seculorum*, id est, in *secularem pompam & splendorem*, & fuges lac gentium, (*Chald. satiaberis Populorũ divitiis*) & *mammillã Regum lactaberis* (LXX. *Interp. divitias Regum devorabis*) *Pro ære afferam aurum*, & *pro ferro argentum*, & *pro lignis æs*, & *pro lapidibus ferrum*. Ita ille cap. LX. Quæ ipsa tamen, prout *Interpres* ea vertit, clarissima verba, ambigua reddit, imò aliorum trahit, & ad triumphantem *Ecclesiã* pessimè applicat *Iohannes*, qui quemadmodum ex innata quãdam  $\mu\iota\chi\rho\sigma$  *Apoc. XXI.*  $\psi\upsilon\chi\iota\alpha$  oblatos sibi ab *Angelo* honores respuit, ita procul dubio neque hoc capere potuit neque illud, quod de summis *Collegæ* sui *Petri* honoribus ab *Esaia* alibi fuerat prædictum; *Regis scilicet, & Reginae de* cap. XLIX. *misso in terram vultu Te adorabunt & pulverem pedum Tuorum lingent*. Quod non in *Petro* quidem, utpote honorum istorum incapace, in successoribus tamen feliciter completum videmus.

Enimvero inertes isti *Piscatores*, si vel ad vitæ suæ genus aliquantum attendissent, intelligere poterant, quænam *Ipsis* captandæ essent fortunæ. Quid enim evidentius dici poterat eo quod apud *Habacucum* legerant? *Facies Homines, ut Piscatores maris, ut reptile quod Principem non habet*. *Quantũ illorum est, educet hamo, & auferet illud e verriculo suo*. Idcirco letatur & gaudet. Idcirco sacrificat *sagena suæ & suffitum facie e verriculo suo*; quia per illa pinguis est portio ejus, & cibus ejus opimum. Hæc autem de *piscatione* per hamum prædicationis *Evangelicæ* esse intelligenda, tum *parabola* Eos docebat, quam ex *Christi ore* exce-

Scioppius  
in ep. ad  
Nobil.  
Germ. de  
splendore  
& divit. Ec-  
lesiast. In.  
golst. 40.  
1605.

Apoc. XXI.  
cap. XLIX.

cap. 1.

perant, tùm promissio factò Petro; *Hominum te faciam Piscatorem*, id est, Interprete *Reginaldo Polo*, *Tu successoresq; Tui dominationem habebitis in omnes homines & potestatem Regibus atque Imperatoribus imperandi, eos citandi & ejiciendi.* Neque *Hominum* tantum sed *pecuniarum* etiam piscationem Iphis concessit Christus, Idemque secularibus omne jus ademit in Clericorum lacubus piscandi; *Reges terræ*, inquit ille ad Petrum, *à quibus accipiunt tributa? Non certè à nobis, sumus enim Filii, adeoque LIBERI. Sed proficiscere ad mare, mitte hamum, & eum piscem qui ascenderit primus.*

Matth.  
XVII.

Tros Retulusve fuit, nullo discrimine habetor, *Tu tolle, & aperto ore Ejus invenies STATEREM, accipe eum.*

Certè

*nisi tunc Petri mens læva fuisset,*

non poterat non ex istis verbis intellexisse, quantum piscandi jus in se esset colatum. Verùm licet ille ferociores interdum animos gesserit, fatendum est justo timidiorum adeoque rebus magnis moliendis aut sustinendis fuisse imparem. Quod si enim Ipsum omnesque Ejus confortes pavor incessit, cùm solito plures pisciculos, quales *Genezarethi* lacus nutriebat, aliquando cepissent, quantâ obsecro formidine trepidâssent, si retibus suis ingentes balænas & viva hominum corpora vidissent involuta? Ex qua meticulositate etiam accidisse, credo, quòd cum *terre quadrupedia, fera, reptilia & volucres in vase quodam de cælo* Ipsi offerentur bisque & *ter* juberetur, ut mactaret ea atque comederet, hæsitaverit tamen neque tangere fuerit ausus, unde & *vase* denuò in *Cælum* fuit receptum, constat autem, vel *Eminentissimo Baronio* interprete. Deum istâ visione, veluti investituræ cujusdam ritu, Petro voluisse conferre summam potestatem quoscunque homines pro lubitu mactandi: quod ille jus supremæ Majestati proprium, pro piscatoria sua simplicitate, ita tùm neglexit, ut periculum fuerit ne planè interiret, nisi in usum à successoribus revocatum, & inter alios à *Paulo*, non certè illo *Tharsensi Idiota*, sed *Quinto* licèt intempestivius ac proinde non nihil infelicius, fuisset assertum. Indè igitur Petrus ad nescio quam  
spi-

Luc. V.

Act. X.

In Voto ad  
Paul. V.  
contra  
Remp. Venet.

spiritualem capturam sese accinxit, mysticos pisces, in aëre venaturus, eosque sagenæ invisibilis cujusdam cœlorum regni inclusurus, cum tamen piscaturam in aquis debebat exercuisse, iisque & latis & profundis. Nã *in magnis aquis magni capiuntur pisces*, ut est in proverbio. *Aqua autem sunt Populi & turba & gentes & lingua*. Quare etiam à Christo jussus erat *Ducere in altum, ibique retia expandere*, hoc est, *ascendere Romam, quæ altum habet dominium super gentes*, & unde per omnes terrarum natione retia in capturam laxari possunt, ut rectè Innocentius III.

Apoc. XVII  
Luc. v.

Quod si quis dixerit, laudata nobis hæcenus Veterum, oracula & Christi promissa non nudis atque simplicibus, sed figuratis verbis fuisse enunciata, unde non mirum quod Apostolis non ita accuratè intellecta fuerint, is cogitet & Petri ipsi dictum, *Ecce duo Gladii*, & Christi tum responsum, *satis est*, tum mandatum, *Reconde gladium Tuum in vaginam*. Quibus quid apertius aut luculentius pro omnium spiritualium seculari Gladio Ecclesiasticis Principibus asserendo dici poterat? Quod si enim temporalis gladius ad Petrum nihil pertinuisset, certi Christus, factâ duorum gladiatorum mentione, debebat dicere, *Nimis est*. At dixit tantum *satis esse*. Neque Petro jussisset, *Converte gladium TUUM in vaginam*, si gladius ille Petri non fuisset, uti sapienter observavit Bonifacius VIII. in *extravagantibus*. Ubi Glossa docet, distinguendum inter *Gladium vaginam vacuum*, & *gladium in vagina reconditum*; illum visibilem esse, adeoque materialem ac proinde temporalem, hunc invisibilem adeoque spirituales, utrumque verò fuisse Petri. Siquidem qui gladius meus est *in vagina*, certè idem etiam meus erit, ubi *extra vaginam* fuerit: Nihilominus tamen Apostoli contrarium inde videntur collegisse, sibi que persuasisse, quod Gladii temporalis usus à Magistro prohibitus Ipsi fuerit Adeò difficile est sapere, ubi animus semel erroneis principiis est imbutus!

Serm. 2. in  
fest. Petr.

c. 1. De ma-  
jor. & obed.

Enimvero fateor nonnunquam Ipsos paulo rectius sensisse, cogitationesque suas ad sublimiora convertisse, ut quando Zebedæorum mater cum Filiis suis certum sibi locum, Christo scilicet à dextris

Matth. XX.

Luc. XXII.

Luc. XXII.

De Statu  
Imp. Germ.  
cap. 2.

& sinistris proximum attribui peteret; itemque cum de *Præcedentia* jure inter se disceptarent Apostoli, & quisnam maximus esset disquirerent. Fateor etiam Christum ad istiusmodi petita morosius respondisse, Ipsorumque reprehendisse ambitionem; *scitis, inquit, Principes Gentium in eas dominari, & Magnates potestatem exercere in eas, verum non ita erit inter vos. Qui voluerit inter Vos primus esse, sit vester servus. Et iterum; Qui maximus est inter vos, sit sicuti minimus, & qui reliquos ducit, sit instar illius qui ministrat.* Quibus verbis turbari facile poterant, & in eum errorem induci, quasi vetitum Iphis esset dominium rerum affectare, & imperium in Imperatores quærere. Verum utcunque illa se habeant, in eo saltem gravissimè errarunt Apostoli, quod successoribus suis idem præceperunt, quod sibi erat præceptum cum tamen Horum longè alia sit ratio. Nam, ut rectissimè *Severinus de Monzambano* in aureolo suo commentario ad *Lalium Fratrem*; *Postquam recentiorum Fortuna sacerdotum immane quantum à tenuibus Antiquissimorum rebus discessit, absurdum fuerit illos amplius adstringere velle obsoletis legibus, super modestia Ejus ordinis Hominum à Salvatore promulgatis. Et fortasse ista leges ad prima illa tempora duntaxat debebant valere. Nam id revera ridiculum erat, homines Piscatores aut Textores priorem locum affectare, quibus in diem victus aut labore manuum aut stipibus collatis querebatur.* Quod discrimen cum Apostoli non observaverint, occasionem dedere Hæreticis, & qui Hæreticis peiores sæpe esse solent, Politicis, ut illa Christi responsa ad nostra etiam secula pertinere putent, qua opinione nihil Ecclesiæ nostræ possit esse perniciosius, aut quod *pius animas magis scandalizet.* At quæ hinc factum ut *Ius quoque piscandi*, quod in omnes terrarum, imò & *super-cælestes & infernales aquas Pontifici nostro de jure Divino* competit, multis in locis sit hodie ipsi prohibitum, neque in Britannico Oceano aut Codano sinu, aut Lemanno lacu, aut Germaniæ fluvii tam liberè ut olim liceat piscari. Imò metuendum aliquando erat, ne à vicino quoque Hadria prohiberetur, uti *Contribulem* suum fraternè submonuit *Pifanius di Pizzoni, Pescaor da Buran de Mar, Vir sanè bo-*

nus

nus & Patriæ amantissimus, Tantum scilicet illa Apostolorum pu-  
 fillanimitas, & de qua gloriari solebant, *magis* hodiernum Ecclesiæ  
 nocet!

## DEMONSTRATIO.

Cum Apostoli nihil altum spiraverint, nihil sublime, sed fractis  
 dejectisque animis non nisi blebejas virtutes patientiam scilicet, mo-  
 destiam, humilitatem commendaverint, quibus Ecclesiæ non salus so-  
 lum impeditur, sed universa structura funditus labefactatur; consequi-  
 tur necessario, Eos ab Ipso Catholicæ doctrinæ fundamento totius-  
 que fidei scopo enormiter aberrasse, adeoque religionem quam tra-  
 diderunt ex se & principiorum suorum natura ad salutem compa-  
 randam esse ineptissimam, id quod erat demonstrandum.

Jam igitur nostrum fuerit, malè posita ab ipsis principia vel pla-  
 nè tollere vel corrigere saltem, & ad sacri Imperii stabilimentum ac-  
 commodare. Cujus rei initium proximis literis faciemus. Vos in-  
 terim valete, & *Brevingii* valetudinem curate diligenter. Paris. Cal.  
 Jun. clō Id CLXVII.

JANI

✠ (334) ✠  
JANI ALEXANDRI  
FERRARII

Coenobitæ Augustiniani

EPISTOLA SEPTIMA.

*Ad*

*Reverendissimos Fratres*

ADRIANUM ET PETRUM  
de WALLENBURCH.

FRATRES REVERENDISSIMI;

**C**hristianam Religionem prout ab Apostolis primū dictata fuit, ad salutem comparandam sive ad Regale Sacerdotium, Romæ stabiliendum, ex se & principiorum suorum natura, minimè omnium idoneam esse superiori Epistola prolixè ostendimus. Restat igitur, ut, quid de ea sit faciendum, eadem evidèntia demonstremus. Quem in finem subjicimus.

PROPOSITIONEM IX.

*Quamvis Religio Christiana à scopo Romana nostra Ecclesiæ immane quantum abhorreat minimè tamen consultum videtur, ut ubi rationibus approbata, Consuetudine introducta & Principum Auctoritate stabilita est, aperta ejus ruina violento molimine & uno impetu tentetur.*

EXPLI-

§. 1. Fuerint sanè qui eam funditus evertendam & apertè destruendam judicarunt, quandoquidem ab utilissimæ ac proinde veræ Fidei scopo tantopere aberrat, ut vix liceat sperare eam quacunque arte aut industria ad institutum nostrum inflecti posse. Tùm si maximè huc fuerit accomodata, periculù est ne aliquando ad pristinam naturam tristemque illum & sterilem Genium, quem primitùs habuit, ex improvìso revertatur. Neque vanum hunc metum esse tùm superioris ætatis, tùm nostrorum temporum experientia edocuit. Unde enim ad oppugnandam sacræ Monarchiæ nostræ potentiam vel plura vel expeditiora instrumenta deprompserunt Rebelles Hæretici, quàm ex ipsis intimis Christianæ Religionis adytis? quæ si non occlusa tantùm & quodammodo præstructa, sed prorsus deleta fuissent, utique tantam armorum copiam adversus Ecclesiam Nostram parare sibi nunquam potuissent.

2. Quamvis autem isthæc prudenter à Nonnullis cogitata fuerint, priusquam tamen ipsis assentiamur, contrariam quoque agendi rationem putamus esse examinandam. In istiusmodi enim negotiis, quæ ex omni parte magnis obsidentur difficultatibus, non statim primùm obvia via pertinaciter tenenda, verùm omnes explorandæ sunt, ut facta omnium accurata inter se collatione, tutissimam tandem ac facillimam eligamus.

3. Atque hîc cum primis attendendum, quid Alii ante Nos Viri Sapientes de his ipsis rebus judicaverint. Hos autem interest, *Muhammed*, Homo, ut eventus docuit, Perspicacissimus, cujus exemplum eò pressius nobis imitandum, quò feliciùs videtur idem, quod nos institutum urfisse & in consimili causa fuisse versatus. Quare eum ipsi quoque Hæretici Collegam Pontifici nostro adjungunt, & dum bicipidem vel bicornem saltem Antichristum statuunt, dextrum quidem cornu Sanctissimo nostro Patri sinistrum verò Muhammedi imponunt. Hic autem *Muhammed* cum pro sagacitate sua perspexisset, quantum Religio Christiana ab instituto suo dissideret, utpote

Uu

quæ

quæ homines à præfenti felicitate abstraheret, cõrũ animos imbelli-  
 um virtutum cultu frangeret atque emolliret, pro bello pacem, pro fe-  
 rocia mansuetudinem, pro libertate servitutem preces & lacrymas  
 pro armis commendaret, eam sibi noxiam & perniciosam omninò  
 credidit, neque tamen uno ictu & vi apertã judicavit demoliendam.  
 Quare inter alia Islamismi capita disertè Populo suo mandavit, ut  
*crederent veritatem Prophetarum & Apostolorum, quique ad eos demissi*  
*sunt librorum adeorũ, & profiterentur Christum Filium Mariæ Dei esse Spi-*  
*ritum & Verbum ejusdemque Apostolum, & Evangelium ac legem Mo-*  
*saicam passim approbavit.* Imò his ipsis fundamentis doctrinam suam  
 videri voluit superstruxisse scripturarumque auctoritate inniti. Hinc  
 & Muhammedani, quã subtilitate nos Pontificem nostrum, illi Pro-  
 phetam suum in utroque codice reperiunt. In lege quidem *Deut.*  
*XXIII. comm. 2. ubi Venit Deus à Sina, & ortus est à Sair, & manifestatus*  
*est à monte Paran,* quibus scil. verbis descensus legis ad Mosen, Evan-  
 gelii ad Jesum, corani ad Muhammedem distinctè significatur. Et, te-  
 ste ipso *Propheta Abulkasimo Suratã LXXI. Dixit Iesus, Filius Mariæ: ò*  
*Filii Israël, ego sum Apostolus Dei ad Vos, ut verificem quam habetis Legem,*  
*& annunciem Apostolum venturum post me, cui nomen erit Achmed, id est,*  
*Beidavio* interprete *Muhammed.* Quod ipsum in novi Testamenti li-  
 bris, diserte scriptum exstitisse docet nos Dialogista Saracenus apud  
*Theodorum Abucaram,* quando ad Christianum ait: *In Evangelio Chri-*  
*stus scripsit dicens; Prophetam vobis mitto dictum Muhammed.* Cui Chri-  
 stianus: *at ejus memoriam Evangelium non continet.* Contra *Barbarus:*  
*Continuit sanè olim, sed vos expunxistis.* Argutè, ex capite nimirum  
 XIV. Evangelii Johannis, quod de Paracleto agit, ubi a versã paginæ  
 parte in eodem contextu ego persuasissimum habeo exstitisse quo-  
 que Prophetam de Occidentali Paracleto, qui in scrinio Pontificii  
 pectoris resideat. Quòd autem ista in nullis exemplaribus aut versi-  
 onibus hodie leguntur, id factum fraude Hæreticorum, & in specie  
 quidem *Calvinistarum,* quos juraverim jam ante mille sexcentos an-  
 nos talia omnia ex scripturis summo studio erasisse. Quare hodiernum  
 Tur-

Opusc. 19.  
 inter Opu-  
 scula XLII.  
 edita à Grei-  
 fero, In-  
 golst. 1606.



Turcæ, si quando Novi Testamenti Codex in Arabicam linguam translatus, ipsis offeratur, ut librum cœlo delapsum & in quo olim Prophetæ sui mentio extiterit, summa cum reverentia accipiunt religiosissime deosculantur. Ex quibus omnibus colligimus, magnum Istum, ut novi Principatûs, ita & novæ Religionis Architectum judicasse, Christianæ Fidei schema quoddam nomenque externum esse obtestandum, eo ipso tum vim ejus internam penitus extinctum ibat. Quem in finem, licet magnificè de Scripturis nostris sæpe fuerit locutus, eas tamen legi aut scrupulosius explicari ac subtilius disputari vetuit, hoc uno contentus, ut, quod & Achmed ibn Edris ingenuè alicubi profiteretur, proposito suo inservirent. Atque hanc ob causam eas amplificavit supplemento Corani, quo ceu ultimo Prophetici Spiritus dictamine perfecta salutis principia continerentur.

4. Hanc viam felicissimi Monarchæ & conjunctissimi Pontifici nostro Collegæ & in Antichristo Fratris cur non & nos sequamur? Nam si ille non nisi crassum quoddam & corporeum imperium erat exstructurus, & tamen adeò exquisitas artes sibi adhibendas credidit, quando subtiliori industriâ nobis opus erit in condendo mystico nostro & spiritali regno, ne scilicet cujusquam oculos offendat, antequam fundamenta ejus solidè locata, imò tota machinatio firmiter compacta, & in tantam molem educta fuerit, ut Æmulis formidini esse & suismet viribus inani possit. Tale imperium cum ex divinarum & humanarum rerum mixtura ita contemperari debeat, ut *spiritaliter corporeum & invisibiliter visibili* existat, necesse est utique ut artes, quibus exstruitur, utrique isti rerum generi conveniant. Ita demum profana sacris, cœlum terris, vera falsis feliciter immiscebuntur. Ita templa simul erunt munimenta, monasteria castrorum usum præbebunt, infulæ in coronæ figuram aptabuntur, atque idem baculis & pastoris pedum erit & sicarii dolo & Regis sceptrum ille verò, qui his omnibus ad sacri imperii stabilimentum utetur, ex utroque existet verus Leviathan, ipso *Hobbiano Leviathane* longè robustior & formidabilior. Quibus omnibus quid subtilius simul & validius excogitari possit.

Uu 2

5. Ni-

Tab. Instit.  
Or. I. 2. c. 16

5. Nihil igitur nos turbet metus ille armorum, quæ Hæretici ex Apostolica doctrina contra nos possint depromere. Paria enim Muhammedanis erant metuenda, imò astutissimis quibusvis Hæreticis. Nam semper evenire posset ut Christiana Religio, effervescente veluti quâdam fermentatione, sese ipsam à pugnantibus & heterogeneis doctrinis secerneret, easque ejiceret, ad pristinam puritatem liquidamque simplicitatem sese convertens. Id quod tamen multis jam seculis non accidit, cum Christianismus Muhammedismo immixtus in eadem feculenta crasi hodiernum subsistat.

6. Dein si hoc metuamus Nosque intempestivâ formidine permittamus absterreri, nihil unquam commodi ex aliorum erroribus percipiemus. Cum enim Falsum sine mixtura Veri, & Malum sine fundamento Boni per se subsistere non possint, semper metuendum fuerit, ne Veritas Bonum à Falso & Malo sese subducant, hæcque destituant.

*Veluti nudos in litore pisces.*

Ex quo nimium pro vido timore sequeretur, non nisi Puram Veritatem & impermixtum Bonum sectanda atque Aliis proponenda esse, unde omnis qui ex Falso & Malo ad nos redire posset fructus, periret.

7. Certè

*Nihil prodest quòd non ledere possit idem.*

Ita cibos aspernemur, attulerunt sæpe valetudinis causas: nunquam recta subeamus, super habitantes aliquando procumbunt. Quis noscitur ignes, aquas sine quibus nulla sit vita, & ne terrenis immorer, Solem Lunamq; præcipua siderum aliquando etiam nocere. Non igitur disputandum, an à Christianæ Religionis reliquiis damnum fortè aliquod ad nos possit redire, verum an plus inde sperandum Boni quàm metuendum Mali. Nos autem & callidissimi Muhammedis exemplo & evidentiatione jam ostendimus, si univèrsum Christianismum apertè ejuremus, nihil solidi mansurum esse cui machinas nostras utcunque superstruamus.

8. His

8. His accedit & exemplum & iudicium summi atque in fabricandis religionibus. Exercitatissimi Viri Guilhelmi Postelli S. R. E. Presbyteri, & qui superiori seculo exactis per universum propè orbem itineribus tandem senex centenarius major Parisiis in cœnobio S. Martini in campis demenso Monachi ex Regia liberalitate gaudebat. Hic in ipsa Parisiorum Lutetia & publicè docuit & scriptis tradidit, feminam quandam sibi familiarem, quam ille *Mere Jeanne* nominabat, Mulierum Servatricem esse eodem merito quo Christus Masculorum. Quis credat in ipso capite cultissimi & florentissimi regni, in tanta omnium scientiarum & disciplinarum luce, tanta Sapientissimorum & Eruditissimorum Hominum frequentia ausurum fuisse tam pudendas & prodigiosas nugas exponere, nisi eas cum vera Christi historia conjunxisset? Et quando Amicis & Stephano, qui ista nobis retulit, Venetiis aliquando est confessus, Christianam quidem Religionem sibi displicere, sed eam tamen minimè delendam, verùm cum Turcica & Judaica esse contemperandam, quid aliud voluit quàm Christum non violentis manibus perimentum, sed specie amicissimi complexus suffocandum esse?

Verdier  
Tom. 3. de  
la Proso-  
pog. des  
Hommes  
Illustres A-  
pol. pro  
Herod.  
Henr.  
Steph. l. 1.  
cap. 14.

9. Atque hanc eandem agendi rationem commendat longa superiorum temporum experientia, & indè ortum *Leonis* Sacratissimi Pontificis nostri oraculum, qui pluri Spiritu agitatus & ad pecuniæ ex indulgentiis paratæ ad spectum veluti in ecstasi raptus, *Hem, quantum, inquit, nobis profuit fabula de Christo!* Ita Christianismi simulacrum omninò rebus nostris prodesse poterit modò eo rectè sciamus uti. Hoc verò unicè dependet à dexteritate & industria Eorum quorum interest. Est enim Religio.

- - Comme il coltel, che se tu 'il prendi  
In quella parte, ove per uso humano  
La man s'adatta, à chi l'adopra è buono:  
Ma ch'il prende ove ferè, è speso morte.

Il Pastor  
Fido, Act.  
1. sc. 4.

Ita Fidem Christianam si eâ parte adhibeamus, quâ primam Simplicitem & Veritatem nudam exhibet, perimus: Sin, commodis

U u 3

no.

de M. H.  
c. 5.

nostris egregiè inserviet ; sic enim verè implebitur , quod Beatus Campanella dixit ; Opinio , quam omnes fere Populi de Religione Christiana conceperunt & credunt , permultùm valet . Fac igitur ut credant , quicquid ad Pontificem nostrum pertinet , id omne ad Christum ipsum pertinere , & à quo ille offendatur , Hunc offendi . Nunquid videtis quò majori pompa Christi nomen exponitur , eò magis Pontificis Nostri auctoritatem atque potentiam amplificari ?

du Puy  
laus d'histoire des  
Templiers.

10. De Templariis referunt Historici , ad exquisitissima supplicia fuisse damnatos propterea quòd Christo aperte renunciaverint fidemque Catholicam sibi præstituerint convellendam . At tamen luculentissimi Scriptores Eos horum criminum innocen-

Dans l'hist.  
de France.

testestantur . Ita nuper *Mezeræus* ; *Il n'y a point d'homme de bon sens qui croye que tout l'ordre ait été coupable des enormités qu'on luy imposoit . Unde plurimi existimant , non alius flagitii fuisse reos , quàm quòd Pontificiam Majestatem haud satis religiosè observârint . Quelques uns disent qu'ils n'étoient pas si impies ne si mechans qu'on les faisoit , mais qu'ils étoient riches & qu'ils parloient librement & Publiquement des vices , des Ecclesiastiques . Verba sunt alterius Scriptoris Gaili . Hæc autem etiam si ita se habeant , minimè pugnare credam , modò persuasum mihi sit Christi causam & causam Romanæ Sedis unam esse eandemque . Nam nisi hoc firmiter ponamus , fateor difficulter assequi , quomodo sine extrema invidia & summæ crudelitatis infamia adeò immisericorditer haberi potuissent . Jam verò si illi , qui Papæ illudunt , ipsum æternum Christi Numen ludibrio habere creduntur , *Clemens* minimè censendus est : inclemens fuisse , quando eos immanissimis tormentis excarnificari & piatricibus ustulari curavit flammis .*

Girard du  
Haill. del'  
Etat de  
France Li.  
vrc 2.

Neque enim turbare nos debet aut sinistram susceptionem movere , quod ordinis illius vir Princeps *Molæus* Papam , ut ad Christi tribunal intra quadragesimum diem se sisteret , citavit , qui & ipso die dicto è vita discessit . Nequaquam enim credibile est , summum Pontificem ad istiusmodi Hominis citationem comparuisse , vel si ma-

ximè ad fatalem illum sibi dictum terminum comparere & Majestatem suam arbitrio Christi spontè submittere voluit, hoc ipso docuit se rebus suis ne minimum quidem diffidere, utpote qui Christo facile sit persuasurus, se in exurendis Templariis communem causam egisse. Equidè non adeò facile ista distinguuntur. *Le temporel s' allie si subtilement avec le spirituel, & de l'interet de l'homme on sait faire si adroitement la cause de Dieu, & il survient des occasions si melées de ces choses, qu'il est malaise d'en faire la separation,* ut rectè Silhonius noster nuperrimè monuit. Crediderim tamen Christū, ut ut in *Suarezii* Metaphysici vel *Castanei* Distinctionibus parùm versatus fuerit, discrimen facile deprehendisse.

Dans la  
preface au  
Card. de  
Rich. sur  
son Livre de  
l'immor. de  
l'ame.

II. Verum concedamus à minimis etiam pristinae Apostolicae Fidei reliquiis pericula nobis imminere, nondum tamen indè conficitur, eas penitus delendas esse, nisi nobis prius constiterit de probabili proposito hujus successu. Prudentiæ enim est, non solum dispicere quid rebus nostris utile sit atque proficuum, sed & imprimis quid fieri possit. Inepti simus, si ea moliamur, quibus ipsa rerum conditio repugnat. Ubi igitur Religio Christiana mysteriorum suorum sublimitate, præceptionum sanctitate, miraculorum majestate, prædicationis efficaciâ, aliisque Divinitatis suæ indiciis se jam Hominum animis insinuavit, ubi longâ consuetudine & Parentum Majorumque traditione stabilita, ipsorumque Principum legibus sancita est, adeò ut JESU nomen tanquam tremendum & adorandum habeatur, neque de eo blasphemando sine extremo horrore cogitari possit, nunquid videtis, *Fratres Reverendissimi*, quàm ibi temerarium, quàm arduum, quàm periculi plenum, quàm prosperieventûs dubium foret molimen, quod de Christi fide aperta vi & uno impetu conquassanda susciperetur?

12. Ubi verò res integra est, nec dum vetus illa Apostolorum doctrina Hominum animis adeò firmiter infedit, ibi fateor aperto velo agi & liberè ac sine ambagibus novum rebusque nostris accommodatius Evangelium prædicari & posse & debere. Quod saluberrimum monitum, cum Hispanorum Apostoli in America olim neglexe-

xe-

de M. H. in  
apend.

de M. H. c.  
31.

xerint Sacrum imperium nostrum multa indè damna est passum, ut rectè arguit Beatus jam sæpe nobis laudatus *Campanella*; qui, ne in posterum in eundem errorem incideremus, Christianas institutiones tum brevi *Legis Summâ*, tum novâ *Catecheticâ methodo* accuratè est complexus. *Summa* scilicet, unde & *Lex* & *Prophetæ* omnes dependent, conceptis hisce verbis continetur; *Nihil quicquam tam reverenter coram Populo hoc, qui Christi nomen antea nan̄ audivit, habendum est, quàm nomen Papæ, quo firmitus ille Religioni nostræ adhareat, necesseque habeat regulam vitæ temporalis & modum salutem æternam consequendâ nobis petere.* *Mytagogiæ* verò methodum & veræ *Catechesios* delineationem, licèt illa sit paulò prolixior tamen ob singularem elegantiam temperate mihi non possum, quin exscribam, non dubitans, Vos quoque. *Fratres Reverendissimi*, eam summa eum voluptate, quamvis aliàs sæpe legeritis, hic denuò relicturos. Oportebat, inquit, docere missos à Deo fuisse magistros, veluti *Moysem* & alios, quibus cùm mundus parum fidei haberet, Deum ipsum assumisise carnem humanam, flagrantique nostri amore, naturam nostram induisse, ut illo quasi instrumento docere nos possit, quâ viâ nobis ad cœlum gradiendum, utque veritas colenda sit; atque hæc omnia per amicis persuasiones, non armorum violentiâ. Deinde quod Deus ipse suo proprio exemplo comprobaverit ea quæ docuit atque demonstraverit, quo modo nobis hic super terram conversandû sit, & quod, postquam nos docuit, ne mortis quidem terrore à Deo cultuve divino recedendum nobis esse, ipse primus mortem à crudelibus tyrannis occisus subierit, ut illius vestigiis insistamus; quòdque tertio die à mortuis resuscitatus ascenderit in cœlum, relicto in terris suo Vicario, quem Papam vocant, qui in illius tribunali sedet, cœlesti sapientiâ imbutus, cum multis fortissimis Principibus, qui veritatem divinam propugnent: inter quos Rex Hispaniarum primas tenet. Denique Deum misericordiâ erga illos motum, cum essent idolatræ, violantes legem naturæ, Hispanos ipsorum fratres miserit, qui illos in veritatis viam reducant, & per Papam & Regem Hispaniæ

„nia ( à qua orbis ille per diluvium separatus sit ) ad se pertrahant.  
 „Quodque nobis scientiam largitus sit fabricandi naves, marisque &  
 „equorum domandorum, quoque modo chartæ vocales faciendæ  
 „sint, ut illi hæc omnia intuentes fidem nobis adhibeant; quodque  
 „nos præter hæc multa alia miracula edere possimus, quæ ipse in hoc  
 „mundo edidit; qualia sunt, sanare ægrotos, & resuscitare mortuos,  
 „si modo sanctissimis illius præceptis obedierimus, & aquâ in nomine  
 „Dei unius baptisati, & invisibili gratiâ à peccatis mundati fuerimus.  
 „Quodque arma hæc nobis dederit ad sumendam vindictam de o-  
 „mnibus, qui seminationem veritatis impedire conantur. Hoc pro-  
 „cemium in demulcendis illis sumptum oportuit, multosque ex illis  
 „qui per physiognomiam idonei visi fuissent, eligere, atque in hæc  
 „doctrina erudire: posteaque mittere eos, tanquam Samaritanam il-  
 „lam, advocandos populares & cives suos, omnes comitate atq; man-  
 „suetudine, sine crudelitate atque avaritia, Eisque persuadere, aurum  
 „nos non plus curare, quàm ipsos; quòdque illo nos solum utamur  
 „ad permutationes rerum, expetamusque id sine omni avaritia, o-  
 „stendentes, nos invicem auri ferrum ad illos deportare, quod omni  
 „auro utilius est, ad excolendam terram, vitamque ipsam protegen-  
 „dam. Quibus omnibus perfectis magnum numerum illius gentis  
 „in navem impositum oportuit, quasi jussu divino, Papæ & Regi Hi-  
 „spaniarum patefacto, in quorum regiones eos exportare & per co-  
 „lonias Africæ dividere, indeque in Hispaniam transferri oportuit, ut  
 „laborarent, terram colerent, atque artes mechanicas exercerent,  
 „dum Hispani rei militari operam dant, atque Paulatim universam  
 „illorum regionem sibi subjiciunt. Sed Hispani qui primò ibi intrâ-  
 „runt rudes & meri milites fuerunt, nescientes quantû opinio divini-  
 „tatis in animis hominum valet, ad subjugandos illos. Sed confestim,  
 „quasi in propinquorum hostium fines ingressi, cœperunt diripere  
 „aurum, palàm præ se ferentes salutem illorum parum sibi curæ esse,  
 „minitantesque nullo præmisso præcepto, ut baptisari se sinant, cre-  
 „dantque Christum pro se fuisse crucifixum. Quæ res primò sane in-  
 „tuitu

„tuitu absurdissimæ sunt, nimirum quòd aqua quenquam in cœlum  
 „perducere, & quod Deus mori possit, statimque ab initio offendi-  
 „culo omnibus fuerunt, ut loquitur Apostolus Paulus; non obser-  
 „vantes canonem Apostolicum: Prædicate hominibus.

13. Talem Christianæ Catheseos methodum jam nostris  
 temporibus in extimis Asiæ provinciis observarunt Ignatianæ fidei  
 Propagatores solertissimi. Hi enim, cum animadverterent ipsas  
 illas licet exiguas, quæ in Europa permanserunt, Apostolicæ doctri-  
 næ reliquias etiamnum nescio quid continere horridum & durum,  
 & quod, ut olim, stultitia Gentibus videatur, Judæisque sit scandalo,  
 non Christum docuere crucifixum, quem unicum tamen Paulus se  
 scire professus est, sed alium formosum, magnificum, Chinesi ha-  
 bitu indutum, qui mira cum magnificentia aliquando de cœlo in  
 Europam descenderit, & Pontificis Nostri prædicaverit regnum.

Palafox in  
 Epist. ad In-  
 noc. X.  
 Pontif. 8.  
 Jean. 1649.  
 quam etiam  
 habet in  
 Diario de  
 Mr. de St.  
 Amour Do-  
 ctoris Sor-  
 bon, pag. 11.  
 allegato-  
 rum;

*Nihil illi de Christo crucifixo, nihil de mortificatione, nihil de jejunio, nihil  
 de pœnitentia, nihil de Eucharistia semel quotannis recipienda. Quòd  
 si Chineses illos Ecclesia vellet iterum docere & veris fidei regulis instrue-  
 re, se deceptos esse clamarent & repugnarent, non enim jejunantem religio-  
 nem, non fidem pœnitentem, plorantem, Natura horridam carni inimi-  
 cam, crucifixioni, morti & periculis destinatam, non servatorem crucifi-  
 xum sibi à magistris suis Jesuitis expositum esse. Non se Hominem Deum  
 flagellatum, consputum, contemptum, vulneribus confossum, in cruce pen-  
 dentem & mortuum amplexos esse protestarentur, sed servatorem solum-  
 modo pulcrum, gloriosum formosum ( sicut ipsum Chinesium habitus depin-  
 gunt Jesuitæ ) & legem vitamque suavem, letam, lenem, placidam, tran-  
 quillam.*

14. Enimverò novam istam methodum nonnulli improbã-  
 runt, atque Eos inter magnas super hac re turbas excitavit. *Ioh. Pala-  
 fox de Mendoza Angelopolitanus in America Episcopus & consilii Indiarum  
 Decanus, homo simplicior & rudior, quàm qui artes istas intel-  
 lexerit. Hic fortè sibi imaginatus est Anathema, quod Paulus ali-  
 quando vel Angelo aliud Evangelium prædicanti dixit, hodie adhuc*

&



& quidem apud Indos etiam valere; neque rectè est interpretatus illud alterum ejusdem Pauli; *modò predicetur Christus*, hoc est, modò Christi nomen retineatur. Quibus erroribus indictus morosus ille senex istam Jesuitarum Catechesin publicè damnavit, unde non mirum quòd de sede suâ Episcopali deturbatus, ex urbe ejectus, & ab Ignatianis Sodalibus solemni ludibrio habitus fuerit, crucis signo taurinis cornibus super ipsum formato, & decantata *λιταυεία*; *Ab Episcopo Palafox libera nos Domine*, ut ipse quidem in iisdem literis lamentabiliter conqueritur. Certè dignus erat qui cum simplici sua & antiqua pietate exagitaretur, jubereturque foràs ire & ibi æternùm plorare & strenue, quantum lubuit, jejunium exercere.

15. Importunis quidem Episcopi Illius & consimilium imprudentium Hominum delationibus & querelis Multi Viri Boni & Simples per Europam offensi fuère. Quibus ut quodammodo satisfuerit, Pontifex fortè etiam justo meticulosior methodi istius publicationem sacro edicto repressit, cujus prohibitionis instrumentum nuper nobis retulit *Hurtado* Theologus Hispanus. Verùm censura ista nequaquam eò interpretanda, quasi ad Christianos, qui translineam *Æquinoctialem* & ultra *Gangem* habitant, pertineat, cum tantùm facta sit in gratiam Eorum qui aliquas Veteris Christianismi reliquas in Europa etiamnum tenent, uti præter alios integro & solido volumine edocuit Celeberrimus *Didacus de Moralez* *Jesuita Rector Collegii Santi Iosephi in urbe Manilia*, quæ *Metropolitana est Philippinarum*.

16. Quæ cum ita sint, tutissimum credo eandem viam inire, quam olim tenuerunt Imperatores, cum Remp. Romanam in Dominium essent conversuri. Ut enim illi simulacra quædam Libertatis pristinae reliquerunt, ipsâ libertate funditùs sublatâ, ita etiam juvabit imaginem quandam Christi ostendere, Christo ipso sensim abolito. Ut hâc ratione observemus istuc religiosissimi *Machiavelli* monitum; *Qui Reipubl. formam vult innovare, in id incumbat necesse est, ut rerum, quæ antea fuerunt, umbram aliquam retineat. Sic enim efficietur, ut*

X x z

plebs

Thomas  
Hufet. in  
opusc.  
Colon. ed.  
a. 1655.

Dis. de Rep.  
lib. I, c. 25.

plebs non putet quicquam esse mutatum, quamvis omnia re ipsâ sint innovata. Nam populus non solet res profundius intueri, sed quæ videntur & foris ita apparent, eas perinde ac si ita sint accipit. Quamvis Magistratus planè novi creentur, planeque nova munera Hominibus imponantur, sunt tamen eadem retinenda nomina, ut putentur esse eadem. Hinc evidens colligitur.

C O N C L U S I O.

Cum rerû apud Nos status non permittat, ut Christus apertâ violentia è medio tollatur, consultum est eum lenta tabe confici, & simul dum contabescit, artib<sup>9</sup> Babyloniiis vel Ægyptiacis Mumixæ instar ita condiri, incrustari & pingi, ut vivi & succulenti corporis imagine Hebetiorib<sup>9</sup> imponat. Artes autè istas ut ritè assequi & particulatim explicare possim, illum, qui in scrinio pectoris Pontificis nostri residet, Spiritum suppliciter rogo ductu suo & afflatu me ulterius ne dedignetur. Vosque adeò etiam, *Viri Reverendissimi*, me precibus Vestris atque intercessione apud ipsum juvate. Dabam è Bibliotheca conventus majoris. Cal. Decemb. clō Io CLXVII.

F I N I S.



Datum der Entleiung bitte hier einstempeln!


(204)JG 162/14/79

*Op. van 145*

